I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA De ABDICATIONE AB OFFICIO,

Qvam,

Consensu ac Decreto

MAGNIFICI

JCTORVM ORDINIS

in Inclyta ALTDORFINA,

die xx. Dec. A. 1686.

Publico Eruditorum Examini

submittit

JOHANNES ERNESTVS ZAPFIVS,

Vinariâ Thuringus.

Literis HENRICI MEYERI, Vniversit. Typographi.

Procemium.

AMplior est præsentis Dissertationis materia, quàm ut ejus plenaria tractatio paucis pagellis possit circumscribi. Quapropter Te, B.L. statim ab initio præmonitum velim, neque mei instituti fuisse, neque virium imbecillitatem tempusq; nimis arctum concessisse, accuratiorem eidem adhibere limam; Sed quicquid hic agitur, eâ intentione fit, ut, Speciminis Inauguralis loco, post consueta examina, ad quæ me Inclytus JCtorum Ordo non ita pridem admisit, pauca quædam pro ingenii tenuitate ex variis Autoribus congesta, publicâ Dissertatione edantur, in quibus licet voto forsitan eventus defuerit, nobis tamen adhuc gratulandi locus supererit, si tali conamine aliorum altiori indagini occasionem fecerimus; Sicuti etiam nostrum hâc in re studium non penitus abdicamus, sed operam navabimus, ut quæ occurrentia hinc inde obstacula jam accuratius disquirere prohibuerunt, si DEUS vitam ingeniiq; robustiores vires dederit, aliquando meliori ordine & judicio elaborata procedant. Tu interim præsentes conatus æquâ mente judica, meq;, si quâ in parte lapsum deprehenderis, benignæ Tuæ censuræ subjectum agnoscas. Vale.

CAPUT I.

Explicationem Nominum ac Definitionem continens.

SUMMARIA.

Num. 1. Etymologia vocabuli abdicationis, ut & 2. Officii. 3. Derivata quædam mediæ ac infimæ ætatis Scriptorum, à voce officii. 4. Homonymia vocabuli abdicationis, ubi de veterum abdicandi more. 5. Differentia inter hanc abdicationem & exhæredationem. 6. & 7. Causæ ac effectus ejusdem. 8. seq.

8. *seq.* An hæc abdicatio Romanis fuerit in usu. 12. Abdicatio ad alienandos parentes. 13. Quomodo nobis vox abdicationis ſumatur. 14. Homonymia vocabuli, officium. 15. Quomodo nobis accipiatur. 16. Definitio abdicationis ab officio. 17. usq; ad fin. ejus diviſio. 31. Quibus ſolennitatibus degradatio Clerici fiat juxta Canones? 32. An degradationis ſolennitates etiam apud laicos locum habeant, & quid apud Noſtrates? 33. Recenſentur quidam ritus exaugurationis Regum. 34. Quæ ſolennitates requirantur ad reſignationem nocturnam?

1 ABdicationis vocabulum deſcendit à dicare, quod ejusdem eſt originis ac dicere. Hinc derivatur vel à Græco δίκειν (quô licet propriè de ſermone judiciali utantur Græci, tamen, ſicuti etiam ἀγορεύειν, interdum etiam ſimpliciter loqui ſignificat) vel à δείκω, δεικνύω ſeu δείκνυμι, nempe quia dicere nihil aliud eſt, quam ſermone animi ſui ſententiam exponere. *Voſſ. Lex. Etymol. verb. dico.*

2 Officium verò quidam deducunt exinde, quod proſit multis, officiat nemini, *l. 7. quemadm. teſt. &c.* Sed rectè ἀντίφρασιν cum cit. Voſſio *verb. bellum*, in Etymologicis appellamus pontem inſcitiæ. Quidam porrò ab efficiendo, quod ſcil. cuiq; pro conditione perſonæ ſuæ facere incumbat, *Petr. Greg. Syntagm. jur. univ. l. 18. c. 21. n. 5. Calvin. Lex. jurid. verb. officium.* Quidam deniq; ab opus & facio, ut ita officium κατὰ συγκοπὴν vocetur quaſi opificium.

3 Vid. *cit. Voſſ. verb. officina & Ambroſ. lib. 1. Officior.* Derivantur autem apud Scriptores mediæ ac infimæ ætatis plurima exinde, licet ſatis barbara, vocabula: Videlicet, officiare, i. e. funerare, item Eccleſiæ deſervire, hinc officiari dicuntur dies feſti, cum in iis proprium diei & feſti officium Eccleſiaſticum peragitur, ac officioſitas, illius officii peractio; Officiperdi verò vocantur, qui laboris non habent remunerationem. *Carol. du Freſne Gloſſ. ad Script. med. ac infim. æt. verb. officium.*

4 Inter alios verò abdicationis ſignificatus, quos brevitatis ſtudio omittimus, hic præcipuè eminet, qui occurrit in *l. 6. C. de patr. pot.* atq; Græcis ἀποκήρυξις vocatur, nihilq; aliud erat, quàm ignominioſa filii miſſio, à patre inter vivos juſtis ex cauſis facta.

5 Quamvis autem ea in multis cum exhæredatione conveniret, interim tamen hoc inter utramq; intererat, quod (1) illâ filii abdicarentur vivis parentibus, & omni jure filii privarentur: exhæredatione autem ſubmoveantur ſaltem poſt mortem patris ab hæredi-

reditate. Hinc abdicatus erat quidem infimul exhæreditatus, *Tiraquell. de utroq; retract. gloss. 8. n. 46.* non verò contra, cum exhæredatio saltem vim suam post mortem parentis habere soleat. *Calvin. Lex. Jur. verb. abdicatio.* (2) Illa vel juxta Platonem *lib. 11. de LL.* fiebat non à patre solo, sed plerumq; genere universo, *i. e.* adhibito consilio & suffragiis proximorum, apud quos pater accusabat filium, ostendebatq; dignum, qui depelleretur, datâ licentiâ defensionis filio, & postmodum secundum suffragiorum qualitatem vel familiâ ejiciebatur vel retinebatur. Vid. *Petr. Greg. c. l. l. 11. c. 9. n. 4.* Vel juxta *Alciat. l. 2. dispunct. 28.* judicis autoritate atq; causâ abdicationis probatâ: Exhæredatio verò fit à solo patre, causâ ejusdem in testamento expressâ, atq; hærede in casu motæ querelæ inofficiosi testamenti probandâ. Cæterùm variæ hujus 6
abdicationis & incertæ erant causæ, quarum plures recensentur à Luciano in Abdicato: si e. g. filius noctu foris cubuisset, si comessaretur, si lenones pulsasset, si libidinibus incumberet, voluntatiq; paternæ repugnasset, & in genere juxta *Godofred. ad c. l. 6.* omnes in *Nov. 115.* expressæ exhæredationis causæ similesve hûc referebantur. Hisce igitur à patre allegatis & ritè probatis, filius vestibus spoliatus familiâ ejiciebatur, pater eum educare non te- 7
nebatur, neq; in illius hæreditate succedebat, quiq; eundem ita expulsum recipiebat, læsæ Reip. reus pronunciabatur, à parentibus tamen recipi poterat, ac postea, si ad priora rediret, rursus abdicari, fiebat enim quandoq; ad tempus abdicatio, teste *Seneca L. 3. controvers.* Utrum verò hic abdicandi modus Græcis fuerit 8
singularis, an cum Romanis communis, dissentiunt Dd., quamvis adducta à Plinio *l. 5. c. 45.* aliisve exempla, (ex quibus illustrissimum est, quod *Valer. M. l. 5. c. 8. n. 3.* refert de T. Manlio, in cujus filium Silanum à Macedonibus repetundarum accusatum, cum Senatus vellet suscipere quæstionem, pater sibi committi judicium postulavit, quo impetrato, domesticus judex audivit accusatores & defensores rei, productisq; invicem testibus & aliis probationibus, tandem pronunciavit, fecisse videri filium, & illum jussit è conspectu suo abire, quem dolorem juvenis cum ferre non posset, laqueo vitam finivit) svadeant posterius. Vid. *Conan. 2. Comment. jur. civ. c. 13.* Neq; enim ex *c. l. 6.* contrarium elicietur, cum in eâ verba: *Romanis legibus non comprobatur*, ad præsens tempus sint referenda. *Alb. Gentil. tr. de nupt. l. 4. c. 1. Duaren. ad tit. de his* 9

10 *qui sui vel al. jur. cap. un.* Sed quicquid sit, jure Codicis (in Dige-
stis enim nullum hujus abdicationis extat vestigium) talis modus
expressis textibus postea est reprobatus *d. l. 6.* ubi vid. *Mornac.*
liberiq; inviti nec domo ejici, nec à patriâ potestate liberari pos-
11 sunt, *l. 5. C. de Emanc. Nov. 89. c. 11.* adeo ut nec rescriptum Prin-
cipis ad hoc impetratum, ut quis invitus emancipetur, quicquam
valeat. *Brunnem. ad l. 4. C. de Emanc. n. 4.* nisi justæ adsint causæ:
Quapropter *Hillig. ad Donell. l. 2. comment. c. 26. lit. G.* statuit, et-
iam adhuc hodiè filios ex causâ, ex quâ solent exhæredari, domo
quoque ejici posse. Plura ad hanc materiam facientia vid. apud
cit. Petr. Greg. Alciat. Lucian. Sveton. in Tiberio. Cic. l. 1. de Fin. Liv. l. 6.
Val. Max. l. 5. & 6. Quintil. in lib. Institt. & Declam. Senec. in Declam.
l. 2. & controv. l. 1. Calvin. c. loc. verb. abdicatio. Henuig. ad Grot. de J.
B. & P. l. 2. c. 5. §. 5. Hotmann. commentar. verb. jur. verb. abdicatio.
aliosq; quos hanc in rem laudat *Mornac. c. l.* Præterea quoq; ab-
12 dicationem quandam ad alienandos parentes Græcis in usu fuisse,
autores sunt *Alciat. c. l. n. 4. & Calvin.* Permissum scil. filiis, patrem
morbo, senio aut morum acerbitate in dementiam incidentem
resq; dissipantem, accusare, quorum accusationem si admiserint
legum custodes, illum tanquam filiumf. domi se continere jussum
fuisse; Sed hujus reî veritatem suis autoribus relinquo, præsertim
cum ex Aristotele *l. 8. Eth. 15.* ad quem provocant, planè nihil pro
eorum sententia colligi, quin potius contrarium ex *Eth. 8. c. 16.*
in fin. probari possit. vid. tamen *Plato de LL. Dial. 11.* Et hæc qui-
13 dem incidenter de hoc abdicationis significatu. Nobis siquidem
hæc vox in planè diversa eâq; significatione sumitur, ut respon-
deat Germ. abdancken/ & ita non solùm abdicationem spontaneam,
sed & coactam, quæq; alio nomine depositio audit, complectatur.
14 Officium interdum denotat meritum sive gratuitam ope-
ram, quam quis ex amicitiâ præstat, quo sensu nemini officium
suum debet esse damnosum, *l. 7. quemadm. test. Cic. l. 7. Epist. 31.*
interdum jurisdictionis legitimæ exercitium. *Alciat. ad tit. de*
off. assess. Interdum generalissimè omne ministerium, aliàs ne-
cessariò implendum, ita ut tali significatione etiam artificium
complectatur. *Barbos. tr. de appell. verb. utr. jur. signif. verb. offic um,*
atq; ita dicitur habere officium advocatus *c. f. x. de post.* Tutor *rubr.*
ff. quand. mul. off. tut. Notarius *c. 11. de Hæret. in 6to.* Coquus *clem. 2.*
de cens. aliiq;. Interdum officiales ipsos & ministros magistra-
tuum

tuum hoc verbum designat. *l. 6. §. 5. de off. præs. l. 74. de evict. l. 27. de furt. l. 6. C. de sent. & interloc.* Mox locum, in quo officiales consistunt *l. 7. inf. qui satisd. cog. l. 17. de in jus voc.* Paulò quoque aliter sumitur vox officii in Jure Canon. ut scil. officium sit Ecclesiasticarum rerum administratio, sine tamen præeminentiâ ac jurisdictione. *Vallens. ad tit.* ※. *de Præb. & dign. §. 2. num. 6. Engel. Colleg. Jur. Can. l. 3. t. 15. num. 4. in fin.* Apud Scriptores mediæ ac infimæ ætatis, obsequium seu comitatum domesticorum ac famulorum, nec non officia ista hoc nomine indigitantur, quæ aliàs officinæ vocantur, scil. monachorum usibus & officiis addictæ, perinde ut feuda, ratione quorum vasallus obsequium certum domino debet. Denique officium vocatur, cum 12. hominum pecora adunantur in unum, propterea, quod uno magistro committantur, vid. de his omnibus *du Fresne cit. loc. verb. officium.* Adde *Myl. ab* Ehrenbach *Hyparcholog. c. 1. Calvin. c. l. verb. officium. Brederod. repert. jur. civ. tom. 2. verb. officium.* Nobis hic potissimùm accipitur pro munere alicui publicè 15
injuncto, vel pro jure, administratione seu potestate alicui ratione muneris competente.

His igitur præmissis, abdicatio ab officio nihil aliud erit, quàm 16
actus, quô quis munus seu jus, alioquin intuitu muneris competens, vel voluntariò vel coactè, vel sine vel ex causâ, consentiente jubente vel etiam sciente illo, penes quem conferendi potestas est, legitimè deponit. Singula exponentur suis locis.

Dividi commodè potest, quod alia sit *Tacita*, quæ ex facto ali- 17
quo ad abdicationem accommodato necessariò inducitur. *Menoch. cons. 661. n. 5. Mev. p. 7. dec. 333.* sive illud factum proveniat intrinsecè & ab eo ipso, qui munus sustinet, sive extrinsecè ac ab illo, qui removendi facultate pollet. Illius exemplum erit in *c. 3. de his quæ fiunt à maj. part. Cap.* ubi litigans super quâdam Præpositurâ, ex eo, quod colitiganti reverentiam exhibuit, juri suo renuntiasse creditur. Cœterùm an Prælatus, si ab obedientiâ subditos absolvit, eô ipso toti Prælaturæ renuntiasse videatur? vid. *Barbos. ad c. 14.* ※. *de renunt.* Hujus verò, si ille, qui instituendi ac per consequens etiam removendi potestatem habet, officiali aliud officium injungat, quod cum priori est incompatibile, nemo enim talibus officiis simul atq; eodem tempore præesse potest. *c. 1. dist. 89. l. 14. C. de Assess. ibiq. Brunnem.* Alia verò *Expressa*, quæ verbis vel literis declaratur.

Barboſ. ad c. 9. de renunt. n. 10. & in Jur. Eccl. l. 3. c. 15. n. 42. Menoch.
18 *c. l.* Eſt autem hæc iterum vel *ſimplex & pura*, quæ absq; ullo pacto, conditione aut reſervatione contingit, vel *conditionalis*, quæ in favorem certæ perſonæ, vel ſub aliquâ conditione aut reſervatione, e. g. quorundam emolumentorum, tituli, gradus, honoris (puta, ſtalli in choro, locive in Capitulo. *Barboſ. ad c. 2. X. de ren.*)
19 peragitur, de quâ tamen poſteriori abdicationis ſpecie notandum eſt, illam juxta Canones ob metum Simoniæ, & ne detur occaſio eligendi ſucceſſores in beneficiis ex reſignatione, contra *c. Moyſes 8. q. 1. c. pervenit, 1. q. 4. Gallerat. de Renunt. t. 2. cent. 1. ren. 31. n. 17.* regulariter prohiberi, niſi fiat coram Pontifice. *Barboſ. c. l. Didac. Ybanez de Feria addit. ad Covarr. l. 1. c. 5. n. 17. Zoeſ. ad tit. X.*
20 *de renunt. n. 17.* ita ut neq; Prælatus, Pontifice inferior, eam rejectâ conditione tanquam puram poſſit admittere, per ea quæ tradit *cit. Barboſ. n. 47.* ubi etiam ad contraria reſpondet. add. *Garc.*
21 *de Benefic. p. 11. c. 3. §. 2. n. 155.* Idem quoque obtinet in noſtris Eccleſiis, cùm non ſolùm peccet reſignans, qui hominis causâ officio ſuo dat repudium, ſed & reſignatarius, qui hoc pacto per cuniculos obliquos ſine legitimâ vocatione ad officium adſpirat.
22 Niſi approbatio legitima Superioris accedat, præſensq; miniſter corporis animive incommodis laboret, *Finckelthuſ. de Jur. Patron. c. 6. num. 28. Stryck. addit. ad Brunnemann. Jus Eccleſ. l. 2. c. 4. §. 14.*
23 Porrò abdicatio diſtingui poteſt in *Spontaneam*, quando officialis proprio voto, conſentiente vel ſciente conſtituente, reſignat aut miſſionem impetrat, & *Coactam*, ſi quis præter voluntatem, e. g.
24 ob dolum in officio commiſſum, removetur, wann einer wider Willen abgedancket wird. Utrum autem in dubio coacta vel ſpontanea præſumatur, ob diverſam officiorum qualitatem variat, licet regulariter, ſi munera publica ſpectes, cum ea plerumq; ſint oneroſa, quis volens magis, quàm invitus, ea depoſuiſſe præſumatur.
25 Secùs eſt, ſi, uti hodiè, plura emolumenta ſecum ferant ac onera, aut conſpicuo honoris gradû dotata ſint, multisve laboribus ac expenſis quæſita. Vid. *Maſcard. de Prob. Concl. 554. 1263. & 1279. n. 12.*
26 *Surd. dec. 2. n. 16. Barb. ad c. 5. X. de Renunt. n. 2.* Tunc enim veriſimile non eſt, quod quis beneficio ſemel quæſito ſponte renunciet, neq; talis renuntiatio, cum in ſe contineat ſpeciem donationis, unquam præſumitur. *l. 25. de Condict. indeb. Barboſ. Theſ. locupl. l. 16. c. 3. ax. 6. Mev. p. 7. dec. 333.*

Coactam

Coactam iterum aliam dicimus *mediatam*, ubi judicialis co- 27
gnitio & ſententia privatoria intervenit, aliam *immediatam* ſeu
juris, quæ fit ipſo jure, quando e. g. officialis in officio delictum
eidem prorſus contrarium committit, quamvis tamen & hic non 28
omne judicis factum excludatur, ſed ille ipſe cauſam cognoſcere ac
ſententiam declaratoriam, tale ſcil. delictum commiſſum fuiſſe,
quod depoſitionem ipſo jure inducat, ferre teneatur, paucis: judi-
cis interventio requiritur quoad cognitionem ſacti, non verò quo-
ad irrogationem pœnæ, utpote quæ, licet judex ſententiam non
ferat, jamjam ipſo jure ex delicto reſultavit. Et ad hanc ab- 29
dicationem immediatam refero c. *28.* X. *de Præb.* ubi, quando
quis dignitatem, perſonatum &c. ſuſcipit, & prius tali ſimili of-
ficio fungitur, ipſo jure vacare dicitur primum. Add. *Barboſ. in
diction. uju frequ. dict. 178. Pauermeiſt. de jurisd. Imp. Rom. l. 1. c. ſ.
n. 29.* vid c. *11. de ſent. excomm. in 6to l. 21. de R. J.* Cæterum hoc
inter utramq; intereſt, quod, pœnâ privationis ipſo jure contractâ,
ſententia judicis declaratoria retrotrahatur ad diem commiſſi cri-
minis, atq; fructus ex beneficiis ſive officiis ab illo tempore per-
cepti auferantur; Quod ſi verò beneficium vacet per ſententiam
à judice ferendam, fructus ante illam percepti condemnato au-
ferri nequeunt. Plures differentias vid. *ap. Layman. Theol. mor. l. 4.
tr. 2. c. 17. n. 2. ſeq.*

Ulterius aliam abdicationem dicimus *honeſtam*, aliam igno- 30
minioſam & cum degradatione conjunctam, de quâ inferius. Tan-
dem quædam dicitur *non-ſolennis*, quæ ſine ullo ſolenni ritu per- 31
agitur, quædam verò *ſolennis*, quæ fit certis ſolennitatibus, uti in
degradatione clerici, cui poſt ſententiam inſignia ordinum ſo-
lenniter detrahuntur. vid. *c. 2. de pœn. in 6to.* juxta quod ipſi co-
ram judice ſeculari, cui tradendus eſt degradandus, publicè Epi-
ſcopus tondet caput, radit vitro vel ferro loca capitis & manuum,
in quibus unctio facta eſt tempore Ordinationis, exuit habitum
clericalem & induit laicalem, ac ſic judici laico deinde tradit puni-
endum. Plura vid. *apud Petr. Greg. c. l. 31. c. 3. n. 8. Gonz. Tell. ad c. 10. X.
de jud. n. 14. & Engel. lib. 6. Coll. jur. Can. tit. 27. de pœn. n. 12.* Hujusmodi
ſolennitates etiam locum habere in degradatione noſtrorum cleri- 32
corum ut & laicorum, puta, ſi ſit aliquis Doctor, qui propter deli-
ctum privandus ſit cingulo Doctoris, vel miles exuendus cingulo
militiæ, tradit *Jul. Clar. l. 5. ſent. §. ult. q. 74. n. 5.* Monet quidem *Carpz.*

Def. Eccles. l. 3. def. 117. num. 9. degradationis solennia hodiernis temporibus apud nos locum amplius vix habere, de contrariâ tamen sententia testatur *Brunnem. in proc. Inquisit. c. 10. num. 26.* & adducit *Dn. Stryck. ad Brunnem. Jus Eccles. l. 2. c. 19. n. 4.* casum, quô ante ultimum supplicium parocho habitus clericalis ablatus est, quod sanè licet necessariæ solennitatis haud sit, multùm tamen facit ad dignitatem istam apud plebem illibatam conservandam.
33 add *Reinking. de Reg. sec. & eccl. l. 3. cl. 2. c. 2. n. 11.* Ritus porrò quidam in exaugurationibus regum censveti reperiuntur apud *Becman. Notit. Dign. Diss. 5. c. 4.* ubi ex Thuano recenset, interdum præconis vocem adhibitam, uti in exauguratione Henrici III. in Polonia, interdum per traditionem sceptri, ensis atq; galeæ, à duobus fecialibus, gentilitiis regni signis & ornamentis instructis, quod Carolus V. Imp. in abdicatione regnorum Hispanicorum fecit, peractam, interdum deniq; depositione insignium regni & voluntate abdicandi Senatoribus regni expositâ, nummorumq; projectione celebratam fuisse, qualem abdicandi modum observavit Christina Sveciæ Regina. vid. *l' historia di Christina Regina di Svetia del Conte Galeazzo Gvaldo Priorato l. 1. c. 1. p. m. 26.*
34 Huc referendæ quoque sunt illæ solennitates, quas in resignatione beneficiorum Ecclesiasticorum requirunt Dd., quod scil. si noctu fiat, debeant adesse tria luminaria *arg. l. 1. §. 10. verb. tria. de Ventr. inspic.* sin interdiu, fenestræ apertæ, ut cognosci resignans indubiè possit à Notario & testibus, *Cæpoll. ad l. 2. de V. S. Petr. Greg. c. l. l. 17. c. 17. n. 25. Ripa tr. de temp. noct. c. 148.* qui n. 2, rationem hujus rei subjicit, quod videlicet resignatio sit de genere suspectorum, maximè si, qui dicitur resignasse, adversâ valetudine laboret. Sed licet citato Ripæ libenter assentiamur quoad adhibitionem luminarium, ab eo tamen dissentimus quoad eorum numerum, & tot in tali actu nocturno adhibenda esse censemus, quot sufficiunt ad declinandas tenebrarum fraudes.
35 Affinis est huic divisioni abdicationis illa Canonistarum, quâ depositionem clericorum dividunt in *verbalem*, quam vocant perpetuam muneris clericalis privationem per Canonicam sententiam cum debitâ solennitate prolatam, & *realem* (seu degradationem in specie) quæ est perpetua muneris clericalis ac privilegii privatio per sententiam, adjunctis ceremoniis per Canones institutis. Vid. pl. *Zoes. ad tit. ✠. de Pœn. n. 6. seq. Engel. c. l. Jul. Clar. l. 5. sent. §. f. qu. 36. n. 35.*

CAP.

Cap. II.

De Subjecto Abdicationis ejusdemq; Objecto.

Summaria.

Num. 2. & 3. Divisio officiorum in ecclesiastica & secularia, eminentiora & subordinata. 4. Renunciaturus debet habere potestatem alienandi, qualem 5. & 6. non habent qui vel impediuntur vel prohibentur, & quales illi sint? 7. Minor hìc gaudet beneficio restit. in int. 8. Renunciamus etiam per procuratorem. 9. seq. An Pontifex possit renunciare? 10. Rationes dubitandi. 12. Forma resignationis Cœlestinis. 13. Concluditur tandem affirmativè. 14. An Cardinales? 15. seq. horum officium. 17. Exempla abdicati Cardinalatûs. 18. An Episcopi? 19. Quid de secularibus & an Principes independentes liberè renunciare possint? 20. Exempla hujusmodi renunciationis. 21. 22. seq. Resolvitur quæstio cum distinctione. 25. An Imperator possit renunciare & quomodo? 26. An in regnis absolutis successivis Princeps pro se & simul liberis possit resignare? 27. Ad quosnam & quando regno deposito successio deferatur? 28. An illi qui subordinatas dignitates habent validè renuncient? 29. Quomodo Electores & Principes Imperii? 30. An minores officiales? 31. Cives Reip. validè non renunciant, limitatur 32. benè tamen qui tales non sunt 33. seq. officia minora per precarium regulariter non constituuntur & cur? 35. Quando salaria officiis accesserint? 36. neq; deferuntur per locationem cond. 37. Sed plerumq; per mandatum 38. seq deducitur hoc uberius. 43. seq. An Clerici minores in ordine constituti possint mutare, aut penitus resignare, & quomodo? 46. Quid juris de remotione? qui instituit regulariter quoque destituit. 47. An hic semper sit superior? 48. Aliter hanc facultatem habent Principes independentes, aliter dependentes. 49. seq. An Pontifex possit deponi? 54. Et à quo? 55. seq. Quid juris in Cardinalibus & Episcopis, aliisq;. 56. An Episcopus nondum consecratus deponere possit? 57. Quid in nostris Ecclesiis circa remotionem Clericorum obtineat? 58. seq. An Patroni, Superintendentes &c. talem removendi potestatem habeant? 60. An Principes independentes possint deponi? 61. Quid in regnis conditionatis? 63. Quid de nostro Imperatore? 65. Casus ubi deponuntur Principes. 66. Triplex subditorum remedium contra eorundem injurias. 67. Depositio talis est remedium planè extraordinarium. 68. Exemplum depositionis Imperatoriæ. 69. A quônam tali casu Imperator debeat deponi? 70. Quid juris hìc à quibusdam Palatino adscribatur? 71. 72. Quid circa remotionem Regis Romanorum & Principum Imperii obtineat? 73. seq. An officiales minores liberè deponantur & cur? 78. seq. Limitatur hoc. 80. Quid obtineat in officiis militaribus?

Interdum illos, qui munus aliquod hactenus sustinuerunt, spontè 1
resignare, interdum invitos ab aliis, deponi, supra ostendimus.

Sicuti autem non eadem omnium officiorum eſt indoles, ita quoque varia ipſorum differentia abdicationem modò faciliorem, mo-
2 dò difficiliorem reddit. Præterquam enim, quod alia ſint Eccleſiaſtica, quæ adminiſtrationi rerum ſacrarum atque eccleſiaſticarum inſerviunt, alia verò ſecularia, quæ circa res ſeculares & non Eccleſiaſticas verſantur, inter ea quoque aliqua gradûs & digni-
3 tatis intercedit differentia. Quædam nempè in ſocietate civili cernimus ſingulari quadam majeſtatis aut alterius eminentioris dignitatis fulgore ſplendere, atq; majora vocari, quædam verò tali dignitatis prærogativâ non gaudere, ac minorum nomine venire. De omnibus ergò in genere notandum, aliter in iis fieri reſignationem, aliter depoſitionem atq; degradationem.

4 Et reſignationem quidem quod attinet, cum ea ſit ſpecies alienationis, illam regulariter nemo poterit peragere, qui tali alienandi poteſtate non gaudet, qualem omninò non habere conſtat, qui vel naturâ impediuntur, ut ſunt impuberes ſine tutoris aucto-
5 ritate *arg. §. 2. J. quib. alien. lic. vel non.* furioſi, mente capti extra dilucida intervalla conſtituti, illi, quibus bonis interdictum, (ſiquidem cum de alienando aut diminuendo patrimonio agitur, in eâdem causâ cum furioſis habentur. *l. 6. de V. O. l. 12. in fin. de Tut. dat.*
6 *ab his &c.)* extremè ebrie aliive: Vel lege prohibentur; Hinc minor, curatorem habens, ſine ejuſdem conſenſu atq; accedente cauſæ cognitione, in iis præſertim officiis, quæ pluribus emolumentis dotata, neq; purè oneroſa ſunt, validè non reſignat. *arg. l. 3. C. de in integr. reſtit. min.* Eſt enim renuntiatio, tanquam ſpecies alienationis, magni præjudicii, atq; ita ſine cauſæ cognitione & decreto ſuperioris non facilè admittenda. *t. t. ff. de reb. eor. qui ſub tut. Rebuff. prax. benefic. de reſignat. tit. ratione perſonæ & rei &c.*
7 *n. 1. ſeq.* Et ſi admittitur, minorq; poſtea, majorennis factus, ſe læſum videat, ipſi ſuccurritur beneficio reſtitutionis in integrum, quod non ſolùm ad officia ſecularia, ſed & beneficia Eccleſiaſtica extendimus, per ea quæ tradit *Rebuff. c. l. Boer. Dec. 150. per tot.* licet diſſentiat *Wagnereck ad c. 1. ✠. de reſtit. in int. not. 2.* adde
8 *Gallerat. de Renunt. tom. 1. l. 3. c. 3.* Non ſolùm autem ipſi validè renuntiamus, ſed etiam per alios, procuratores ſcilicet habentes ſpeciale mandatum, ſine quò ipſis talis reſignatio nunquam conceditur, etiamſi generali ſint muniti *c. 4. de procur. in 6to.* vid. *omn. Rebuff. c. l. tit. de procur. ad reſign. conſtit. n. 10. Gallerat. c. l. c. 5.*
horum

horum tamen poteſtas, ſi reſignans ante ceſſionem moriatur, inſimul quoque exſpirat, quia ſcil. mandanti nihil amplius ſupereſt juris ad officium, quod jam vacare cœpit per ejus mortem *arg. c. 6. de reſcript. in 6to.* atq; ita objectum muneris procuratorii eſt ſublatum *clem. fin. de procur.* Hocq; in tantum procedere putamus, licet procurator mortem mandantis ignoraverit, contra *l. 26. Mand.* per ea quæ adducit *Zoeſ. ad tit.* ✠ *. de renunt. n. 13.*

Cæterùm ut ad ſpecialiora deſcendamus, Pontificem Romanum, juxta Canones, Papatum ejurare poſſe, indubii juris eſt. vid. 9
c. 1. de ren. in 6to. Sic Cæleſtinus V. aliique reſignationis exempla nobis ſuppeditant. *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. §. 5. proœm. n. 16. Limn. ad Capit. Ferdin. I. verb.* **obangeregtes Röm. Keyſerthum**
n. 7. & omn. Beyerlinck. Theatr. vit. hum. verb. Magiſtratus. Sed an 10
promiſcuè hæc reſignatio Pontifici permiſſa & cui reſignari tali caſu debeat, paulò difficilioris videtur determinationis. Sanè poſſet videri, Pontifici ſine juſtis cauſis atq; conſenſu Eccleſiæ id non eſſe permittendum, non ſolùm ex ratione, quam nobis ab aliis adductam ſuppeditat *Barboſ. Jur. Eccl. l. 1. c. 2. n. 212.* quod ſcil. uti in aliis beneficiis Eccleſiaſticis, inter Pontificem & Eccleſiam (juxta Pontificios) univerſalem, quidam quaſi contractus tempore electionis celebratus cenſeatur, per quem Eccleſia Pontificem alere, hic verò eandem gubernare tenetur: Hanc autem ex dicta conventione ortam obligationem non poſſe remitti, niſi ju-
ſtis ex cauſis & conſentiente eâ parte, cum quâ inita eſt; ſed & 11
quia, niſi jura ſacrorum excipiamus, Pontifex in rei veritate quoad officium ab aliis Epiſcopis non eſt diſtinctus, eorumq; jure omninò cenſendus, quapropter ſola ipſum externæ dignitatis præeminentia, quâ pollet, communi Epiſcoporum juri, ſecundùm quod ſine
juſtâ causâ reſignantes, minimè audiuntur, eximere nequit. Ac- 12
cedit forma reſignationis Cæleſtini V. quam itidem ex Carillo allegat *cit. Barboſ. num. 213.* his verbis conceptam: *Ego Cæleſtinus V. Papa, motus ex legitimis cauſis i. e. causâ humilitatis & melioris vitæ & conſcientiæ illæſæ, debilitate corporis, defectu ſcientiæ & malignitate populi & infirmitate perſonæ, & ut præteritæ conſolationis vitæ poſſim reparare quietem, ſponte ac liberè cedo Papatui, & expreſsè renuntio loco ac dignitati, oneri & honori, dans plenam ac liberam facultatem ex nunc S. Cœtui Cardinalium eligendi & providendi, duntaxat, canonicè univerſali Eccleſiæ de Paſtore.* Verùm 13

quamvis hæc me moveant, ut ſtatuam, Pontificem ſine ju-
ſtis cauſis reſignantem, conſcientiæ periculum incurrere, in-
terim tamen eum hâc in abdicationis ſpecie nullis legibus po-
ſitivis eſſe circumſcriptum, expreſſo *cit. c. 1. de ren. in 6to.* textu
comprobatur. *Azor. Inſtitt. mor. p. 2. l. 4. c. 6.* add. *Gallerat. c. l. t. 2.*
14 *ren. 30. n. 10.* Paulò arctius reſtricta videtur reſignatio Cardina-
lium, utpote qui, licet ab initio hanc dignitatem interdum recu-
ſare poſſint. *Card. Tuſch. pract. Concl. jur. tom. 1. concl. 97.* eandem
tamen ſemel ſuſceptam inconſultò Pontifice ideò iterum depo-
nere non poſſunt, quia non in ſimplici aliquâ dignitatis præemi-
15 nentiâ verſantur, ſed ordinibus clericorum omninò annume-
rantur. Add. *c. pen. c. 2. qu. 4. Caniſ. Summ. jur. Can. l. 2. t. 5. §. 5.*
officioq; funguntur ſatis amplo, cujus ea potiſſimùm capita ſunt,
ut Chriſtianæ Reip. conſulant, Romano Pontifici aſſiſtant, eiq;
in negotiis arduis rectum conſilium præbeant, ac cuncta, quæ eis
ab eodem S. Pontifice pro utilitate Eccleſiæ injunguntur, fideliter
adimpleant. *c. 13. verb. ſunt autem* ✠. *qui fil. ſin: legit. c. 17. verb.*
decet. de Elect. in 6to. Et cum plura cum Epiſcoporum officio com-
munia habeant. *Bellarm. de Cler. l. 1. c. 16. Barb. jur. Eccl. c. 4. Becm.*
notit. dign. Diſſ. 14. c. 1. th. 6. perinde ut Epiſcopi liberâ reſignandi
16 poteſtate deſtituuntur, præprimis, quia nulla officii Eccleſiaſtici
reſignatio valida eſt, quæ ſine ſuperioris, habentis deponendi fa-
cultatem, approbatione peragitur, utpote qui arbitrari ac cogno-
ſcere debet, utrùm jam expediat nec ne, talis officii renunciatio
Card. Tuſch. c. l. vol. 6. Concl. 257. add. *omn. Barboſ. c. l. l. 3. c. 15.*
n. 14. Accedit, quod de hujusmodi reſignationis libertate nus-
piam aliquid ſingulariter conſtitutum ſit, quid igitur regulæ gene-
rali atq; juri communi etiam circa Cardinales adhærere prohibea-
17 mur? Abdicationis hujusmodi exempla plura hodierna tempora
nobis ſuppeditant in Camillo Pamphilio Innocentii X. ex fratre
nepote, Henrico Portugalliæ & Johanne Caſimiro, Poloniæ Rege.
vid. *Becman. c. l. c. 1.* de Cardinalium autem origine, poteſtate,
dignitate, privilegiis ac officiis. vid. *Barboſ. jur. Eccl. l. 1. c. 1. Becm.*
c. l. Card. Tuſch. tom. 1. concl. 95. Azor. Inſtitt. mor. p. 2. l. 4. c. 1.
18 *Matth. Stephan. de juriſd. l. 3. p. 1. c. 5. Spreng. J. P. l. 2. c. 35.* Porrò
non niſi accedentibus certis requiſitis reſignare poſſunt Epiſcopi
aliive in dignitate ac officio conſtituti clerici, quæ omnia in cap.
ſeq. uberius expoſituri ſumus.

Atq;

Atq; hæc de perſonis eccleſiaſticis quoad reſignandi faculta- 19
tem hôc locô ſufficiant, utq; jam ad ſeculares dignitates & officia
politica progreſſum faciamus, ratio ordinis poſtulat. Et Princi-
pes quidem abſolutos ſeu independentes ipſos regulariter dignita-
ti ſuæ renuntiare, titulosq; ac imperii faſces deponere poſſe, quis
neſcit? vid. *Grot. de J. B. & P. c. 2. n. 26. Theodor. Reinking. ad l. f.
C. de edend. n. 6. Knipſchild. de jur. & priv. civit. Imp.* Quamvis enim
hoc abdicationis genus meritò ignotum Principum aulæ prodi-
gium, ut, cum poſſint imperare, deſiſtant, Stradæ *de bell. Belg. dec. 1.
l. 1.* vocetur, ejusdem tamen extitiſſe etiam optimorum Princi- 20
pum exempla, Diocletianus (*Eutrop. l. 9. inf.*) Lotharius, Ludo-
vici Pii filius (*Teſauro nell' Epitome del regno d' Italia ſotto i barba-
ri p. m. 358.*) Johannes Cantuzenus (poſtea Joaſaphus Chriſto-
dulus vocatus) Wamba Hiſpaniæ, Theodatus Gothorum Rex
(quamvis hujus factum non vera reſignatio, ſed potius pactum de
reſignando cum Juſtiniano initum fuerit, quod violentâ morte præ-
peditus, Theodatus adimplere non potuit. vid. *Gold. Conſtit. Imp.
tom. 1. p. m. 7.*) & noviſſimè Carolus V. Romanorum, Amurathes
Turcarum Imp., ut & Chriſtina Svecorum regina, ſatis amplè de-
monſtrant. vid. *Thuan. l. 16. ad ann. 1555. Becm. c. l. diſſ. 5. c. 4.
Carpz. ad L. Reg. Germ. c. 14. Beyerl. c. l.* Neq; id illos jure facere po- 21
tuiſſe dubitamus, obſervatâ ſaltem aliquâ regnorum differentiâ,
juxta quam aliqui liberè & non requiſito aliorum conſenſu, aliqui
verò quodammodò reſtrictè & nonniſi adſtipulantibus aliis, impe-
rii gubernacula deponunt. Sunt nimirum munia imperandi alia 22
meri arbitrii, alia verò, ſive ex committentis voluntate, ſive ex pa-
cto cum conſtituentibus inito, ſive deniq; conſvetudine, certo
modo reſtricta. Prioribus liberè poſſe renuntiari, non autem poſte- 23
rioribus, exinde deducitur: Omnis renuntiatio, uti dictum, eſt ſpe-
cies alienationis *Card. Tuſch. tom. 6. concl. 160. n. 5. Menoch. conſ. 1223.
n. 45. & Conſ. 80. n. 21.* hæc autem regulariter præſupponit rei alie-
nandæ dominium ac proprietatem, ergò nemo poterit renuntiare,
niſi rei propriæ, nec unquam poteſt ejurari beneficium, quod al-
terius eſt. *c. 23. c. 16. de Regular. c. 9. de crim. falſ. Petr. Greg. c. l. 17.
c. 17. n. 15. Proprium autem* (verba ſunt B. Dn. Conringii) *eſt vel ex
omni parte tale, vel ex aliquâ ſaltem: Illius refutatio dependet à merâ
domini voluntate: hujus autem, non niſi accedente conſenſu ejus, cui ex
parte illud, quod renuntiatur, competit.* Ad prioris generis regna re- 24
fero

fero ea, quæ successiva atque merè hæreditaria seu patrimonialia sunt, ac in hisce magis in abdicando ad voluntatem abdicantis, quàm examen causæ respiciendum erit. *Grot. de J. B. & P. l. 3. c. 20. §. 3.* add. *Hennig. ad eund. l. 2. c. 6.* Ad posterioris verò electiva purè, ubi potissimum ad approbationem vel reprobationem causæ adver-
25 tendum. Quid igitur, ut ad specialiora descendamus, de nostro Imperatore statuendum sit, ipsius Imperii collatio facilè docebit. Sanè illum vi juramenti ex contractu quasi obligatum Electoribus ad Imperii salutem, (cui talis resignatio, si intempestivè fiat, plurimùm obest. *Schwed. Inst. jur. publ. part. sp. s. 1. c. 32.*) atq; adeò in ipsorum potestate esse, velintne resignationem admittere nec ne, dicere non dubito, ita ut Imperator Imperium quidem resignare, sed tamen nonnisi certâ formâ & consentiente Collegio Electorali possit; de quibus inferius plura. add præcipuè *Limn. c. l. Conring.*
26 *not. ad Lamp. p. 3. c. 2. Schwed. c. l. Spreng. J. P. l. 1. c. 30. n. 3.* Alia autem quæstio satis controversa occurrit apud *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 7. n. 26.* An scilicet in regnis successivis merè absolutis regnum seu jus succedendi non solùm pro se sed & liberis abdicari possit? Nobis, quicquid alii distinguant, unica saltem differentia statuenda esse videtur, utrum nempe pater resignaturus tali modo, jus succedendi hæreditario jure possideat, an verò ex pacto &, ut ajunt, providentiâ aut collatione primi acquirentis, vel consvetudine regni. Priori modo, res salva est, *Menoch. consil. 323. n. 63.* cum pater ita disponat de re propriâ hæreditatis sibi jure plenè quæsitâ, neq; liberi de hujusmodi alienatione conqueri poterunt, cum nondum aliquod jus quæsitum in bonis paternis vivente patre habeant, & quod habent, non prius accipiant, quàm in extantibus post ejus mortem rebus, jure non aliunde quàm ab ipso patre in illos derivato. Necessum tamen est, ut pater si pro se & liberis abdicationem fieri vult, hoc expressè agat, cum non præsumatur, sed exprimi debeat, quia est contra commune votum parentum. *Joh. Georg. Kulpis in Colleg. Grot. Exerc. 5. ad l. 2. Grot. c. 7. n. 5.* Posteriori verò, pater quidem sibi, non tamen liberis præjudicabit, utpote qui mediante quidem sanguine, attamen non ex personâ patris, sed primi acquirentis constitutione, conventione aut consvetudine regni, jus succedendi accipiunt, & ita statim atq; concepti ac nati sunt, jus quæsitum habent, quod ipsis invitis regulariter auferri nequit. vid. *Spreng. J. P. l. 2. c. 27. n. 3. Kulp. c. l.* vid.

omn.

omn. Gallerat. de renunt. tom. 1. l. 1. n. 5. seq. Regno igitur à patre deposito, illi, quibus id aliàs per linealem successionem defertur, illicò & eò adhuc vivô admittuntur, secus ac in refutatione feudorum, idq; procul dubio ob favorem & salutem Reip. quæ maximè periclitaretur, si imperii gubernacula tamdiu, quamdiu pater refutans adhuc in vivis esset, ab alio brevi tempore regerentur. *Ziegl. ad Grot. c. l.* 27

Subordinatas autem dignitates quod attinet, in hâc resignationis materiâ ante omnia distinguimus inter eas, quæ jure feudi conceduntur, atq; quasdam præstationes seu officia annexa habent, aut certis territoriis inseparabiliter cohærent, & quæ ita comparatæ non sunt. vid. *Becm. Notit. Dign. diss. 7. c. 3. n. 3.* De posterioribus res est omnis dubii expers, ita ut dignitati collatæ renuntiare liberè quis possit, cum conferenti nullum in revocatione versetur præjudicium, atq; resignatarius favori pro se introducto validè queat renuntiare, vide tamen circa renuntiationem nobilitatis *Galleratum c. l. tom. 2. ren. 29.* De prioribus verò feudi natura difficultatem refutandi parit. Quamvis enim tali in casu renuntiationis licentiam possidenti non negemus, interim tamen ea quoque promiscuè concessa non est, sed ut rectè fiat, quædam requiruntur, quæ in cap. seq. adducenda erunt. Renuntiare igitur poterunt in nostro Imperio tam Electores quàm cæteri ejusdem Principes, (de quibus exemplum habemus in Wilhelmo, Duce Bavariæ, qui Maximiliano filio tradens regimen, ingressusq; vitam monasticam, obiit anno 1624. *Dn. Spener. Syllog. p. 99. Becm. c. l. n. 7.*) Comites, aliive, ita ut etiam primogenitus jus suum vendere & renuntiare valeat, uti hanc in rem Segeberti atq; Johannis I. Marchionis Brandeburgensis exempla adducit *Spreng. c. l. l. 2. c. 27. circa fin.* modò per cessionem talem iis, quorum interest & succedendi jus à lege potius aut pacto sive providentiâ primi acquirentis, quàm à renuntiante habent, non præjudicetur, atq; alia concurrant requisita inferius exponenda. vid. *Spreng. cit. loc.* 28 29

Cæterùm inferioris sortis officiales, officio sibi commisso atq; suscepto licitè posse renuntiare, dubium amplius non est, præsertim si post exantlatos labores & officia administrata muneribus ac negotiis publicis se subducere & ad vitam quietam otiumq; confugere velint. *l. 27. verb. post longi laboris lassitudinem, ob reliquæ vitæ requiem, consilio meliori protractus C. de Episc. & Cler. ubi vid. Mornac.* 30

ac Dn. Struv. de Jur. Sacr. Frequentissimus siquidem viris maximis, post navatam Reip. in rebus belli pacisq; arduis operam, ingravescente ætate fuit quondam secessus in monasteria, quod exemplis
31 comprobat *Mornac. c. l.* Quamvis autem hoc de illis, qui cives ac indigenæ alicujus Reip. sunt, vix asserendum sit, utpote qui, sicut ab initio ad officia tàm autoritate tantùm, quàm autoritate ac utilitate simul publica, etiam inviti adigi possunt, per ea, quæ tradit *Myl. ab Ehrenb. Hyparch. c. 6. §. 20. Matth. Wesenb. V. 1. cons. 40. n. 15. Menoch. l. 2. arbitr. cas. 369. Mev. ad J. L. l. 1. t. 1. art. 1.* aliive, ita simili modo, eodem urgente necessitatis vinculo, ad ea retinenda, si justâ abdicandi causâ superiorisq; consensu non sint muniti, jurive civitatis, soluto emigrationis censu, antea prius non renuntiaverint, coactim adstringentur. *t. t. ff. de vacat. & excus. mun. Matth. Stephan. de jurisd. l. 1. c. 15. n. 15. Donell. l. 7. comment. jur. civ. c. 8. ibiq; Hillig. in not. lit. E.* Illi tamen, qui tali obligationis nexu Reip. ob-
32 stricti non sunt, neq; membra societatis constituunt, quemadmodum delata ab initio munera liberè recusare, ita quoque ea suscepta pro lubitu iterum deponere possunt, modò id vel fiat re integrâ, vel restituatur damnum, quod dominus ex istâ intempestivâ resignatione patitur. vid. *l. 22. §. 11. seq. mand. Mev. p. 2. dec. 12. n. 4.* Non enim extranei, ut indigenæ tenentur Reip. ex obligatione illâ, quâ quodlibet societatis membrum ob commoda protectionis, defensionis, commerciorum aliorumq; jurium civilium Reip. ad munera oneraq; suscipienda est adstrictum, *arg. l. 10. de R. J. l. un. §. 5. de Cad. toll. l. 34. ad municip. Mev. c. l. art. 6. n. 4.* neq; etiam ex aliâ conventione, quæ tempore delati officii inter superiorem & officia-
33 lem intercessit, quâ perspectâ res fiet clarior. Et quidem de specie conventionis per quam officium defertur & ab officiali acce-
34 ptatur, Interpretes non conveniunt. Precarium hic intervenire, multi statuunt, nobis tamen dissentientibus. Hoc enim (1) semper præsupponit preces impetrantis, quis verò in delatione officiorum nescit, ea nonnunquam á principe sine præviis precibus ultrò offerri? (2) In precario aliquid conceditur gratis utendum, principaliter ad impetrantis commodum, ita ut nihil contra fiat, neque accipiens aliter quàm naturaliter obligatus sit, *l. 14. de prec. l. 14. §. 11. de furt. l. 1. de pact. l. 1. de constit. pec. l. 5. §. 1. de solut.* Cujus intuitu Prætor interdictum proposuit, ex quô JCti postmodum introduxerunt actionem præscriptis verbis non ordinariam sed anomalam.

l. 2.

l. 2. §. 2. l. 19. §. f. de prec. Meier. in Coll. Jurid. Argent. tit. de precar. th. 15. & Schüz. Comp. Jur. Lauterb. eod. tit. in effectu. Officia verò deferuntur ideò, ut ea impetrans ritè administret, principaliter, non in sui, sed superioris ac Reip commodum, proq; tali administratione salarium accipiat vel honorarium. Quamvis enim olim magistratus propriis stipendiis Reip. munera obirent, attamen postea Octavianus Cæsar, suadente Mecænate, omnium primus salaria ex ærario illis constituit, cum laborum tum dignitatis nomine. 35
Dion. Cass. l. 3. hist. Rom. Perez. ad tit. C. de præb. salar. n. 4. ut puras & Deo & Principi & legi custodirent manus. *Nov. 82. c. 9. in f.* Quem deinde secuta nostra tempora, ita ut in omnibus ferè Rebusp. magistratibus aliisve publicis ministris, Consiliariis, Syndicis, fisci Procuratoribus, Secretariis & similibus ex publicô ærario publicâ autoritate salaria certa videamus assignata. Vid. *Dn. Bardil. in dissert. de salar. c. 5. th. 6.* Multominus hic locationem conductionem admittimus, cùm hujusmodi operæ locari & taxari non sint 36
solitæ, *arg. l. 5. §. 2. de P. V. l. 1. pr. si mens. fals. mod. Bachov. vol. 1. disp. 29. lit. G. th. 2. Franzk. ad tit. locat. num. 58.* Expediuntur enim plerumq; animo potiùs quàm corpore, ac propter suam dignitatem gravitatemq; mercede æstimari & compensari spernunt. *Bachov. c. l. Struv. Ex. 24. th. 4. vid. l. 1. de Extraord. cogn. Franzk. ad tit. mand. n. 3.* Hoc igitur negotium, per quod officii alicujus administratio defertur, mandati contractui accedet quàm proximè. Equidem nos non latet, fore, qui nobis idem objicient, quod supra ipsi in precario deprehendimus, illud scil. esse gratuitum. *§. f. J. Mand. l. 1. §. f. l. 36. §. 1. ff. eod.* in officiis autem, maximè hodiernis, intervenire salarium, uti supra diximus. Verùm licet concedamus, veram mercedem à dicto contractu respui, salarium tamen & honorarium accedere posse, testis est *l. 1. §. f. l. 36. §. 1. junct. l. 6. pr. l. 1. ff. & l. 1. C. mand. l. 22. ff. de P. V.* Hinc mandatarii oblatum non tantum honestè accipere *arg. l. 1. §. 5. de extraord. cogn. Köppen. l. 1. obs. 58. n. 3.* sed & certum promissum exigere possunt *l. 10. §. 19. mand. c. l. 1. C. eod.* cum id magis in gratæ mentis declarationem, quàm operæ præstitæ adæquatam compensationem ac præcisam æstimationem (ut in locatione conductione contingit) detur ac promittatur, gratiam autem referre, gratuitamq; operam remunerare, amicitiæ benè conveniat. *Vinn. ad §. f. J. mand. n. 1.* Unde hoc salarium seu honorarium non impedit, quò minùs gratuitum 37 38

ſit. *Bardil. c. l. c. 5. th. 27. Lauterb. Tract. ſynopt. ϖ. ad tit. mandat.*
39 *Franzk. eod. n. 24. aliiq;.* Hiſce poſitis, jam reſignationi noſtræ propius accedamus, ulteriùs disquirendo, utrùm mandato ſemel ac indeterminatè ſuſcepto, poſtea pro lubitu renuntiari poſſit? Pro negativâ ſtabit ratio, quod in contractibus ea, quæ priùs fuerunt voluntatis, poſtea fiant neceſſitatis, negotioq; ſemel ritè contracto, nullum amplius, invito altero, pœnitentia locum habeat. *l. 5. C. de O. & A.* & uti Gloſſa *ad §. 2. J. de obl.* loquitur, ſicuti taurorum cornua funibus ligantur viſibiliter, ſic homines ex contractibus &
40 obligationibus ligentur intellectualiter &c. Non obſtante tamen hâc legis diſpoſitione, jus revocandi tàm mandanti, quàm mandatario liberum eſſe putamus, modò illa revocatio (ſi utraq; pars ab indemnitate præſtandâ tuta eſſe velit) fiat tempeſtivè atque re integrâ. Et de mandante quidem hoc minùs dubium eſſe videtur, partim propter expreſſum textum *in l. 12. §. pen. ff. mand. §. 9. J. eod.* partim ex ratione, quod illius regulariter tota res ſit, quæ geritur, & ab initio ſolius interſit, ut geratur vel non. *Franzk. ad t. mand. n. 94.* cum mandans non obligetur ad hoc, ut quod ſemel mandavit, perfici patiatur, cur enim, quod ſuâ causâ ſuſceptum, prohibeatur repudiare, aut operâ atque officio oblato non uti? Nec habet quod queratur mandatarius, cujus, ſi res adhuc integra, nihil intereſt, ſi revocatio fiat, ſin integra eſſe deſiit, h. e. poſtquam jam mandatario per cauſam mandati quid abeſſe cœpit, actionem mandati habet, ad illud recuperandum, atque præterea alia remedia, quibus de conſequendo ſalario (ſi quod debetur) tutus eſt. *Vinn. ad §. 9. J. mand. Lauterb. c. l. §. 4. num. 1.* Neque etiam mandatarius ex eâdem ratione arctiori vinculo aſtringetur. Aut enim renuntiatio fit re integrâ, i. e. eo tempore, quô mandantis nihil interſit, ſed ipſi integrum maneat, negotium per alium æquè commodè explicandi, & tunc neuter de damno aliquo conqueri poteſt: Aut re non amplius integrâ, & tunc ſine juſtâ causâ renuntians (aliàs non *l. 23. l. 27. §. 2. mand. §. 11. in f. J. eod.*) itidem mandanti tenetur ad intereſſe. *c. l. 27. §. 2.* uti ſolent teneri, qui ad faciendum obligati ſunt *l. 13. in f. de re jud. l. 72. l. 112. de V. O.*
41 add. *Bœckelm. ad tit. mand. n. 4. & 5.* Nec nos movet *c. l. 5. C. de O. & A.* reſpondent enim quidam, illam eſſe regulam, à quâ per exceptionem adimantur quidam contractus, uti mandatum, depoſitum, ſocietatem &c. alii aliter. Nos cum *Perez. ad tit. C. de Obl. & A. n. 7* dici-

dicimus, legem illam procedere ſaltem in iis, quæ ab initio in obligationem contractus venerunt, aſt in obligatione ſocietatis, mandati &c. non comprehendi prohibitionem renuntiationis altero invito faciendam, ſed ſaltem, ſi quid factum ſit ab altero vel non factum, deberi id præſtari, igitur quod antea in conventionem non fuit deductum, poſtea quoq; non poſſe neceſſitatis fieri. add. *Salic. Bartol. & Brunn. ad eand. leg.* qui diſtingunt inter contractus in quibus ad perſeverantiam obligatio contracta fuit, & ubi non. 42
Quod ſi igitur ſuperius dicta reſignationi officiorum accommodamus, certi ac indubii juris erit, regulariter officiales officiis ſibi commiſſis liberè atque etiam invito domino, non ſecus ac in mandato, mandatarios, renuntiare validè poſſe, modò ſi talis reſignatio intempeſtivè req; non amplius integrâ fiat, dominus præſtatione intereſſe indemnis ſervetur. *l. 22. §. 11. ſeq. mand. Mev. p. 2. dec. 12. n. 4.*

Cæterùm quæ de reſignatione officialium in genere poſuimus, ea non ita promiſcuè ad Clericos minores in ordine conſtitutos extendimus, ita ut quâdam ambitionis ſtipendiive amplioris causâ moti, temerariè atq; ſine præſcitu cognitioneq; ſuperioris functionem ſuam aut mutare poſſint. vid. *Concil. Nicæn.* aliaq; loca allegata à *Carpzov. Jurispr. Eccl. l. 3. def. 125. n. 1. Petr. Greg. Synt. jur. univerſ. l. 15. c. 12. n. 42.* cum hic non tàm principaliter intereſſe partium, uti interdum in ſecularibus officiis, quàm iſtâ temerariâ renuntiatione imminens Eccleſiæ ſcandalum inſpiciatur; aut penitus etiam deponere, à S. miniſterio impoſterum abſtenturi, valeant, cùm qui ſemel aratro admovit manum, retrahere eam non debeat, & turpe ſit laboris tædio ac otii amore ſanctiſſimo muneri repudium dare. Hinc quoque Bernhardus ad eum, qui Eccleſiam 44
ſuam, cui præerat, relinquere volebat, ita ſcribebat: *Qua ratione inquietus curam tibi creditam animarum exponere debeas, omninò non video. Alligatus es uxori tuæ, noli quærere ſolutionem.* Si autem 45
talis Eccleſiæ miniſter ad miniſterium amplius habilis non ſit, adeoque reſignationem urgeat, aut mutationem talem vel utilitas vel neceſſitas ac ædificatio Eccleſiæ (e. g. ſi in novâ, ad quam vocatus, plures animas lucrari, & honorem Dei ſe magis poſſe promovere videat, *Stryck. ad Brunnem. Jus Eccl. l. 2. c. 4. §. 14.*) aliave prægnans cauſa poſtulet, illa ante omnia à ſuperiore, jurisdictionem Eccleſiaſticam in reſignantem habente cognoſci, ac omnibus probè diſcuſſis admitti debet, per ea quæ tradunt *Carpz. & Stryck. c. l.*

 vid.

vid. *omn. Matth. Stephan. c. l. & Ludov. Dunt. casib. conscient. c. 18. sect. 2. qu. 18. 25. & 27.*

46 Atq; hæc de abdicationis spontaneæ subjecto sufficiant. Sicuti autem in coactâ duæ requiruntur personæ, altera, quæ removet, altera verô quæ removetur. Ita in genere sciendum, regulariter quemlibet, qui instituendi potestatem habet, destituendi quo-
47 que jure gaudere. *Barbos. loc. commun. verb. remotio.* (ubi tamen notandum, malè illum, qui tali instituendi potestate pollet, semper superiorem dici, aliàs Cardinales Pontifice, atq; Canonici Episcopo essent superiores, quod tamen absurdum. Distinguendum igitur erit cum *Carpzov. ad L. Reg. Germ. c. 14. s. 1.* utrum quis aliquem constituat infra se, & tunc in constitutum meritò sibi vindicat imperium, an verò supra se, atq; tunc, cum regulariter in constitutum deponatur omnis, quæ erat in constituente, potestas, hic superior incongruè vocatur.) Nihil enim videtur rerum naturæ tàm conveniens, quàm ut quodvis negotium cô genere dissolvatur, quò colligatum est. *l. 35. de R. J.* omnisq; res, per quascunq; causas nascitur, per easdem quoque iterùm dissolvitur *c. 1. ※. cod.* vid. *omn. Cothmann. vol. 3. resp. 8. n. 19.* Aliter autem hanc conferendi facultatem possident superiores independentes, neminemq; majorem, nisi Deum ac ensem recognoscentes, aliter dependentes ab alio ac
48 subalterni. Illi, virtute juris majestatici, quasvis dignitates ac officia, qualiacunq; ea sint, jure proprio, modò remotè, modo proximè concurrentes, conferre, atq; ita etiam adimere rursus valent. Omnis enim dignitas à Principe, tanquam fonte, in inferiores derivatur, illiusq; est magistratus creare ac dignitates conferre. *l. 1. ad L. Jul. amb. Perez. ad t. C. de dign. n. 2. Camill. Borell. tr. de magistr. l. 1. c. 1. n. 34. Myl. ab Ehrenbach Hyparch. c. 4. n. 1. seq. Bald. ad l. 5. C. de prec. Imp. offer. Borchold. de feud. c. 4. n. 12. Bodin. de rep. l. 1. c. 10. verb. tertium caput majestatis.* Horum verò potestas restricta est ad hanc vel illam dignitatem aut officium in particulari concedendûm, quales sunt Episcopi, Duces militares, civitates &c. eamq; regulariter exercent non jure proprio, sed concessivè ab alio. *Gallerat. de Renuntiat. tom. 2. cent. 1. ren. 30. n. 1. seq.* Hinc Præfectus Prætorio Præsides constituit *Pac. in analys. C. de off. Præf. Præt. n. 8.* & eosdem iterum removet *l. 3. C. d. t. l. 3. C. de off. Rect. Prov.* non expectato Principis rescripto. *dd. tt.*

Ut igitur his præmissis cœpto ordine ulterius progrediamur, 49
meritò discutiendum videtur, an Pontifex, & per quem ille possit
deponi? Hujus rei quæstionem non nisi tremulante manu tractant
Canonistæ. Nos, rejectâ illorum sententiâ, qui auctoritate quo-
rundam canonum moti, Papæ infinitam & fermè divinam poten-
tiam adscribunt, adeoq; illum omnis depositionis incapacem fa-
ciunt, contrariam non sine ratione amplectimur, illumq; con-
currentibus justis causis licitè posse deponi statuimus. Falsum 50
enim est, eum omnibus hominibus esse superiorem, adeoq; defi-
ciente illo, coram quo debeat judicari, cessare quoque ipsam remo-
tionem. Sanè si primævam Pontifices eligendi ac confirmandi 51
rationem contemplamur, eos actus sine jussu ac approbatione Im-
peratorum olim nunquam fermè factam fuisse aut fieri potuisse,
constat ex iis, quæ hanc in rem profert *Carpzov. ad L. Reg. Germ.
c. 2. s. 4.* Imò, quod adhuc magis est, Pontificem Romanum ab ipso
Imperatore dependere, tàm ex prædictâ confirmatione ac investi-
turâ, quàm propriâ quorundam Pontificum confessione atque
Concilii generalis dispositione, idem egregiè demonstrat *cit.
loc. s. 5.* Quibus concessis, uti etiam concedi debent, Pontifi-
ces omninò, cùm superiorem habeant, atq; ab Imperatoribus
olim creati aut confirmati fuerint, ab ipsis etiam iterum deponi
poterunt. vid. *Knipschild. de jur. & priv. civ. Imp. l. 2. c. 3. n. 221.
Carpz. c. l. s. 4. num. 13.* ubi plurima insimul exempla Pontificum,
Papatu tali modo ejectorum, recenset. Sed cum hodie Romani 52
Præsules, nostris Imperatoribus jus confirmandi aut eligendi ex-
torserint, suamque electionem Cardinalium conclavi incluse-
rint, imò quoddam imperium in Imperatores ipsos audaci co-
natu sibi arrogaverint, res, si de facto ipso quæramus, circa
eorum depositionem magis quidem controversa erit. Eô tamen 53
non attento, nihilominus Pontificem ex quocunq; crimine notorio,
& ex quo scandalizatur Ecclesia, coram Concilio aliquo generali
accusari, atq; si admonitus sit incorrigibilis, degradari posse sta-
tuimus. Tale enim Concilium repræsentat totam Ecclesiam, quâ 54
Pontifex omninò minor est, cum propter eam tantâ fruatur præ-
rogativâ. Cæterùm Cardinales atq; Episcopos quod attinet, 55
ipsos itidem depositioni esse subjectos, nemo forsitan dubitabit,
nullâ inter eosdem observatâ differentiâ; quàm quod illi à solo Pon-
tifice audiantur & removeantur, etiam non vocatis cæteris Car-
dina-

dinalibus. *Gl. in c. 2. de cler. non resid. Bald. consil. 328. n. 9. verb. & sicut Papa l. 1. Card. Tusch. tom. 6. lit. P. conclus. 41. n. 64. Barbos. Jur. Eccles. l. 1. c. 4. n. 53. Tapia in l. f. de Constit. Princ. p. 2. cap. 9. n. 87.* Horum verò causæ interdum etiam à Pontifice extra Romanam curiam, Metropolitanis aliisve Episcopis committantur, ita tamen, ut hi non nisi facti instructionem sumant, processumq; conficiant, reservatâ Pontifici sententiâ definitivâ *Conc. Trid. sess. 24. c. 5. de reform.* ubi & latius quid olim. *vid. c. 3. seq. c. 15. qu. 18. Canis. Summ. jur. Can. l. 3. t. 22. §. 11. add Petr. Greg. c. l. l. 35. c. 2. n. 7.* quod idem meritò extendimus ad Abbates exemptos, propter regulam generalem, quòd qui instituit, debeat quoque destituere, qualis est, juxta nostra tempora, in terris Pontificiorum, plerumq; Pontifex solus; Non exemtos autem suis quosq; Episcopis subjicimus, de
56 hisce tamen adhuc disquirendo, an Episcopus nondum consecratus instituere ac deponere legitimè possit? Quod omninò affirmamus, modò ille sit proximè superior instituendi aut abdicandi. *c. 16. dist. 65. c. 14. de major. & obed. Barbos. de off. & pot. Ep. p. 1. t. 1. c. 4. num. 5.* ac, in nostro præcipuè Imperio, juxta regulas Cancellariæ Apostolicæ & Concordata nationis Germanicæ, à S. Pontifice confirmatus fuerit, confirmatio enim tribuit jus in beneficio, ut confirmatus ea, quæ jurisdictionis sunt, administrare & exercere possit. *Ziegl. ad Lancel. l. 1. t. 9. §. f.* Abdicatio autem est ex eorum genere, quæ Episcopalem audientiam requirunt. *Struv. jur. Sac. l. 1. t. 4. l. 13. Carpz. def. Eccl. 110. n. 6. Gebh. de pot. Eccl. n. 205.* nihilq; plus per consecrationem efficitur, quàm ut consecratus etiam ea, quæ ordinis sunt, peragere possit. Vid. *Dissert.* DN. D. LINKII, *Præceptoris nostri nunquam non venerandi, de jure Episc. 4. n. 26.* add. *c. 15. c. 18. q. 2. c. 13. ✠. de elect. c. 36. eod. in 6to. c. 7. ✠. de consuet.*
57 *Petr. Greg. c. l. l. 15. c. 12. n. 12.* Quæcunq; autem circa abdicationis genus Canones statuant, post salutarem reformationem, explosâ Pontificis sacrâ potestate, longè alia in terris Evangelicis juris Ecclesiastici existit ratio, ita, ut postquam vigore pacis religiosæ de Anno. 1555. Augustæ Vindel. conclusæ, jura Episcopalia superioritati territoriali postliminio quasi reddita fuerunt, omnisq; jurisdictio Pontificia, usque ad amicabilem compositionem, suspensa. *R. J. de Anno 1555. §.* damit auch obberührte *10.)* clerici Protestantium non minùs ac ipsi laici jurisdictioni magistratûs politici subjiciantur, nullâ aliâ inter utramq; jurisdictionem retentâ differentiâ,

tiâ, nisi quod, si causas criminales excipias, unicuiq; suum peculiare tribunal constitutum, ut non immediatè neque per Consiliarios politici regiminis, neque per judicem inferiorem, sed saltem Consistoria exerceatur judicium Ecclesiasticum *Carpz. c. l. l. 3. def. 3. n. 11. & def. 5. n. 8. Brunn. jur. Eccl. l. 3. c. 1. §. 12.* Cùm igitur Consistoria jure delegationis à Principe Episcopum quasi ac Capitulum repræsentent. *Stryck. ad Brunnem. jus Eccl. l. 2. c. 3. §. 3.* consequens est, causam quoq; depositionis clericorum ad eadem referendam esse, *Gerhard. in loc. de minist. Eccles. §. 175.* excluso penitus illius consensu, qui jus patronatus habet, secundùm illud vulgare: Schutz und Schirm gibt keine Obrigkeit. *Gail. 2. obs. 54. n. 1. & 7. Carpz. l. 1. def. 13. n. 3.* Neque enim hoc jus aliquid commune habet cum jurisdictione ecclesiasticâ, cujus depositio & remotio est. *arg. c. 13. X. de jur. patr. c. omnes. c. 16. q. 7. Klock. tom. 1. consil. 57. n. 384. in f.* Ex quo eôdem principio fluit, neque patronum posse pastori suggestum interdicere. *Carpz. d. l. l. 1. t. 5. def. 70. add. omn. Knipschild. c. l. l. 2. c. 3. n. 223. seq.* Ex quibus insimul patet, neque Superintendentibus, Patronis atque Pastoribus, inscio aut non mandante Consistorio, licitum esse æedituôs suos & organicos atq; scholarum ministros propriâ autoritate deponere, cum tales personæ ab illis neque constitutæ fuerint, neque etiam Superintendentes ullâ jurisdictione Episcopali gaudeant, sed nudam solummodò notionem & particulam juris Episcopalis, officio eorundem à superioribus adjectam, habeant. vid. *Carpz. l. 3. def. Eccl. 4. n. 12. & def. 30. n. 10. Brunnem. jur. Eccl. l. 3. c. 1. n. 34. atq; Schilter. l. 1. Inst. jur. Can. tit. 7. §. 3.*

58

59

60 Atq; hæc de clericis sufficiant, eos jam excipiunt personæ in dignitatibus ac officiis politicis constitutæ. Illas ergo quod attinet, quæ regali aliquâ aut illustri dignitate fulgent, neminemq; agnoscunt superiorem, eâdem regulariter privari non posse, haud dubitamus. Idque de principibus absolutis minus dubii est, frustrà dissentientibus aliis, quos allegat atque insimul refutat *Carpz. ad L. Reg. Germ. c. 14. f. 1. add. Conring. ad Lamp. p. 3. c. 2. §. 10. seq.* De conditionatis autem adeò generaliter asserendum non videtur. Aut enim conditiones adjectæ sunt hâc expressâ additâ clausulâ, quod Ordinibus regni in casu contrafactionis libera debeat esse regem contravenientem iterum deponendi facultas, & tunc remotionem omninò concedimus Statibus regni, non quidem vi ma-

61 jestatis alicujus realis (quam non statuimus, vid. *Schwed. Inst. jur. publ. p. gen. c. 2. n. 19.)* aut superioritatis cujusdam in imperantem, sed vi pacti illius in electione aut delatione regni adjecti, utpote quæ pacta dant legem contractui. *l. 23. de R. J. add. arg. l. 41. C. de transact. ibiq. Barbos. & Brunn. vid. tamen Conring. ad Lamp. c. 2. §. 13.* qui hanc juris privati dispositionem tunc demum procedere statuit, si princeps conventos atque præscriptos imperandi limites non per inscitiam aliquam inevitabilem, aut si scienter quidem, attamen multum & pertinaciter violat, ne scilicet Resp. ob culpam etiam non magnam concutiatur vel etiam penitus evertatur; Aut illa clausula adjecta expresse non est, & tunc quoque negotium ul-
62 tra conventa non extenditur. Licet enim non negemus, & hoc etiam casu factum, quod princeps contra conventionis leges perpetrat, ipso jure esse nullum, interim tamen utile per inutile non vitiatur, & obligatio inter regem ac subditos tempore electionis aut accepti imperii firma manet, negatô saltem effectu illi facto,
63 quo contra eandem itum fuit. Hisce præsuppositis depositio Imperatoris nostri Romani adeò libera non erit. Quis enim per verba in quibusdam Capitulationibus adjecta *(vid. Capit. Caroli V. art. fin.)* Ob aber diesen oder andern Artickuln und Puncten einiges zuwider erlangt oder ausgegeben wird/ dieses alles soll Krafftloß/ tod/ und aus seyn/ inmassen wir es auch jetzo / alsdann / und dann / als jetzo hiemit *cassiren* und abthun ꝛc. non videbit, Imperatores excedentes præscriptos Capitulationis articulos, nihil quidem & nulliter agere, add. *Klock. de contrib. c. 16. §. 1. n. 176. Limn. ad Capit. Carol. V.*
64 *art. 33.* interim tamen eô ipso omni imperandi potestate atque subditorum obsequio non excidere. Dissentit *Limn. in proleg. ad Capitt. sect. 10. n. 10.* vid. *l 39. §. 1. de vulg. & pup. subst. l 7. C. de condict. ob*
65 *caus. dat.* add. *Bœcl. ad Grot. l. 1. p. 280. Conring. c. l.* Atq; hæc regulariter ita procedere diximus, *quod si verò contingat casus adeò funestus* (uti loquitur *Dietericus ad A.B. p. 44.) & insperatus, ut Imperator nullâ admonitione corrigi aut à contraveniendi scopo averti queat, sed injustis bellis ac persecutionibus Imperii Ordines gravare pergat, causaq; sit desperata, nec saluti Reip. aliud, nisi mutatâ Imperatoris personâ, remedium applicare utile ac necessarium sit, hoc extremo demum casu, Electoribus Imperii, adhibito ob gravitatem negotii cæterorum Statuum consilio, jus deturbandi à solio regem, competere, nullus dubito.* Hactenus ille, cujus tamen sententiam, quoad adhibitionem cætero-

terorum Statuum, in suspenso relinquimus. Triplex alioquin sub- 66
ditis etiam in regno absoluto Dd. plerumque svadent remedium
contra injurias à Principe illatas, precum, supplicationis at-
q; fugæ, vid. *Carpzov. ad L. Reg. Germ. c. 14. s. 2.* quibus si fru-
stra usi fuerint, neque princeps injustis persecutionibus eos-
dem gravare desistat, causaq; sit penitus desperata, hoc extre-
mo demum casu cuilibet Principi à regni Ordinibus resistendi 67
eumq; deponendi facultatem licitè competere censemus, non ta-
men ex-ordinario quôdam jure, sed solâ extraordinariâ necessitate
provenientem. vid. *Bœcl. not. Imp. c. 1. p. 63. atq; Dissertat. Dn. D.* 68
Christ. Jenæ habita, de degradatione cap. 3. §. 2. Exemplum deposi-
tionis Imperatoriæ nobis suppeditat Wenceslaus, qui ob intolera-
bilem ignaviam, tentatis prius omnibus admonitionum remediis,
in ipsâ Rheni ripâ, apud oppidulum Lohenstein / tribunali excitato
& sententiâ exauctorationis publicatâ, depositus est anno 1400.
20. Aug. Lehmann *Chron. Spir. l. 7. c. 72.* Alia autem, eaq; satis con- 69
troversa quæstio occurrit, à quonam tali in casu depositio Impera-
toria fieri debeat? Et quidem in aliis regnis, sicubi unus saltem est
statuum ordo, minus dubii erit; Verùm in Imperio nostro remo-
tionem Imperatoris (rejectâ illâ insanâ & ridiculâ Pontificiorum,
Pontificem huic actui præficientium sententiâ, vid. *Limn. J. P. l. 2.
c. 11. n. 18. M. A. de Dom. de Rep. Eccl. l. 6. c. 10.*) mox Comiti Pala-
tino Rheni, mox Statibus Imperii omnibus conjunctim sumtis,
mox deniq; solis Electoribus separatim, adscribunt. Nos cum
Carpzov. c. l. hic sententiam nostram suspendimus, cum non cui-
quam privato hâc de re judicare fas sit. Rationes, quæ Palati-
num Comitem ab hâc depositione excludere possent, vid. ap. 70
Schwed. c. l. p. spec. s. 1. c. 32. num. 9. quamvis pleriq; eundem in tali
judicio præsidem constituant. add. *Matth. Stephan. de jurisd. l. 2.* 71
p. 1. c. 1. Interim quæ de Imperatore hactenus diximus, locum et-
iam habere videntur in Rege Rom. ita ut circa ejusdem renuntia-
tionem ac depositionem singulare quid statutum non sit. vid. *cit.* 72
Steph. l. 2. p. 1. c. 2. n. 76. Simili modò non adeò liberè Electores
aliive Principes Imperii à dignitatibus officiisq; suis inviti possunt
removeri, sed requiruntur quædam, quæ infra uberius demonstra-
bimus. De abdicatione Ducum Circulorum adsunt verba expres-
sa *in R. J. de Anno 1555. §. 74.* Neben dem soll es auch jederzeit zu der
Kreißstände Willen und Gefallen stehen / ihrer Gelegenheit nach / einen

Oberſten ſeines Amts zu erlaſſen / und einen andern an ſeine ſtatt zu
73 ſetzen. Cæterùm de officialibus, in minoribus dignitatibus & officiis conſtitutis, res non adeò difficilis erit *Grœnew. de I L. abrog. ad l. 5. C. quor. appell. non recip. Sande dec. Friſ. l. f. tit. ult. def. ult.* Quamvis enim plures reperiantur non ignoti nominis JCti ſtatuentes; ſuperiori regulariter non licere officia (etiam ad beneplacitum conceſſa) pro lubitu revocare. vid. *Boer. dec. 29. & 149. n. 11. ubi n. 19.* ſubjicit, officia regia in regno Franciæ adeò perpetua eſſe, ut pro matrimonio in vitâ officiariorum habeantur. *Menoch. l. 1. arbitr. qu. 55. n. 12. & qu. 69. ut & Conſ. 1033. n. 24. Thom. Merckelb. ap. Klock. v. 1. conſ. 32. n. 13.* imò plures ſint, qui ſtatuant, officia non poſſe vacare, niſi morte, renuntiatione aut delicto, *arg. c. 16. de R.*
74 *J. in 6to.* add. *Bodin. de Rep. l. 4.* Non obſtantibus tamen horum rationibus, contrarium verius putamus, ita ut princeps, ſeu alius conſtituens, officialem, libero arbitrio conſtitutum, etiam ſine causâ dimittere poſſit, cum revocando officium jure ſuo utatur, neminiq; faciat injuriam. *Myl. ab* Ehrenb. *Hyparch. c. 4 n. 6.* Sicuti enim reſignatio eſt liberi arbitrii à parte officialis, uti ſupra deduximus, modò ſi res amplius non eſt integra, indemnitatis ratio habeatur, ita conſtituens quoque non deterioris erit conditionis. Accedit natura mandati, in conſtitutione officiorum plerumq; intervenientis, quod pro lubitu uterq; contrahentium revocare poteſt. add. *l. 12. §. 16. mand. Mantic. de tac. & ambig. conv. l. 2. t. 21. n. 4.* Neq; etiam officialis, cum ita non lege quâdam, ſed voluntate conſtituentis ex beneplacito ſeu electione in officio conſtituatur, tale jus acquirit, ut illud invito domino retinere queat, quæ ratio cum ſit generalis, in quibusvis officiis & magiſtratibus obtinebit. vid.
75 *omn. Mev. p. 2. dec. 12. Myl. ab* Ehrenb. *c. l. c. 3 & 4.* Hinc quoque hanc illimitatam revocandi poteſtatem conſtituenti non denegamus in officiis, pro quorum impetratione pecunia eſt data, hæc enim non ob id data cenſetur, ut officialis ſibi eorundem adminiſtrationem perpetuam atq; irrevocabilem quaſi emat, ſed ut ad eandem ſaltem præ aliis admittatur, ſalvâ in reliquis ordinariâ negotii naturâ ac conſtituentis jure, quod ipſi pretio reſtituto exercendum ſemper integrum manet, niſi aliud expreſſe actum ſit.
76 add. *Tap. ad l. f. de Conſt. Princ. p. 2. c. 9. n. 75.* Contra ea autem, quæ hactenus dicta ſunt, nos parum movet, contraria diſſentientium ratio, quod ſcil. remotus ab officio cenſeatur remotus ob deli-
77 ctum quoddam in eo commiſſum. Nam libenter concedimus ob

talem

talem præſumtionem, Principem aliumve conſtituentem non facilè ad depoſitionem ſine juſta cauſa deſcendere debere. *Tap. c. l. n. 78.* interim tamen illud ipſum eidem non eſt penitus denegandum, cum, utendo ſuo jure, nemini faciat injuriam. *l 13. §. 1. de injur.* add. *Bald. in l. 8. C. de prec. Imp. off. n. 3. Myl. ab* Ehrenb. *c. l. c. 4. §. 2. in f.* careatq; gravamine, cui deeſt invito ſuperiore retinendi jus *Mev. c. l. n. 6.* Modò (1) illa depoſitio revera non ſit conjuncta cum ignominioſo aliquo degradationis actu, quem ſine cauſâ adje- 78
ctum omninò reprobamus. *Sande decif. Friſ. l. 5. tit. 10. def. ult. Grœnew. & Mev. c. l.* ſed prius audiri hoc caſu debet officialis cum ſuis defenſionibus per remedia juris ordinaria, nec ſine cauſâ degradari. Et (2) lex vel conſvetudo munia non fecerit perpetua, tunc enim revocationi ſine cauſâ non eſt locus *Id. c. l. n. 3. & 6.* Multò minus autem dubii eſt, ſi quælibet pars pactis ſibi renun-
tiationem reſervaverit, certisve temporum terminis circumſcri- 79
pſerit, quô in caſu etiam incluta hujus Academiæ Facultas Juridica haud ita pridem reſpondit: Daß Beklagte/ vermittelſt der von Klägern in ſeiner deduction ſelbſt zugeſtandenen civilen dimiſſion und angegebener vorbeſchehener vierteljähriger Auffündigung/ ſeines Syndicats geſtalten Sachen und Umbſtänden nach zu erlaſſen berechtiget geweſen/ dahero ſie über die aufgekündigte Zeit den verſprochenen Gehalt zu zahlen nicht ſchuldig. Add. *Mev. p. 3. dec. 61.*

Quod hactenus autem de officiis civilibus diximus, non in- 80
congruè quoque aliquo modo poterit extendi ad militares, ita ut reſignare quidem ſine ſuperioris conſenſu non, abdicari tamen etiam ſine, atq; exauctorari cum causâ validè poſſint. vid quoad exauctorationem *l. 7. de re mil.* ejusq; formam ac ſolennia *ap. Petr. Greg. ſynt. jur. un. l. 30. c. 31. n. 11.* Atq; hæc etiam de objecto perſonisq; dicta ſufficiant, progrediendum nunc ulterius erit ad

CAP. III.

De Abdicationis Formâ, Effectu, Affinibus & Contrariis.

SUMMARIA.

Num. 1. Abdicationis requiſita variant. 2. In genere requiruntur ad reſignationem (1) libera voluntas & quæ huic contraria? 3. (2) facultas renunciandi. 4. ſeq. (3) Fiat vel in manus conſtituentis. 6. Notatur Paulus IV. Pontif. 7. Vel neceſſarii ſucceſſoris. 8. & 9. Quænam feuda in noſtro Im-

perio possint reinfeudari? 10. (4) tempestive & 11. (5) officium sit proprium. 12. Papa resignat liberè, & an Cardinalium acceptatio necessaria sit? 13. Requisita specialia resignationis restrictæ. 14. seq. Causæ renuntiationis Episcoporum &c. 17. Quid in nostris Ecclesiis hìc obtineat? 18. seq. Quid in abdicatione Imperatoria? 22. Causæ abdicationis debent proponi, atque 23. approbari. 24. Renuntiationi legitimæ constituens omninò consentire debet. 25. Ubi consensus talis necessarius non sit? 26. Quando apud clericos consensus hìc interponi debeat? remissivè. 27. Imperator renuntiat cum consensu Electorum, exemplo Caroli V. 28. Quid hìc circa Electores & Principes Imp. Ecclesiasticos obtineat? 29. Unde hi suam dignitatem ac officia hodiè accipiant? 30. Illorum renuntiationi & Pontifex & Imp. hodie consentit. 31. Requisita specialissima resignationis (1) Episcoporum. 32. Contenta 2. regg. Cancell. Rom. de infirmis, & de publicandis resignat. 33. Clericus male renuntiat in manus laici. 34. (2) Electorum Principumq; Imp. 35. (3) Ducum Circulorum. 36. Progressus fit ad formam depositionis. 37. Formatur triplex personarum ac officiorum classis. 38. Quid requiratur ad depositionem Principum independentium. 39. Regula generalis circa eandem. 40. Quomodò Pontifex possit deponi? 41. notatur Thesaurus. 42 Requisita ad depositionem Pontificis, Cardinalium, Episcoporum &c. necessaria. 43. Si persona Ecclesiastica deposita sit incorrigibilis, tunc, juxta Canones, degradatur. 44. Quid hìc obtineat in clericis Protestantibus? 45. Depositio Electorum Principumq; Imperii. 46. Non possunt pro lubitu devestiri. 47. neque ab Imperatore sólo. 48. Notatur Caroli V. factum. 49. Quomodo Status Imp. tali præjudicio obviam iverint? 50. Adjiciuntur speciales quædam causæ, ob quas prædicti Status suis dignitatibus ac officiis possint privari. 51. Quatenus Imperator personas illustres Ecclesiasticas possit privare dignitate & officio. 52. Quod tamen secus est in nostris & Reformatis personis Ecclesiasticis. 53. Ad depositionem prædictarum Ecclesiasticarum personarum, Catholicæ religionis, requiritur & Pontificis & Imperatoris consensus. 54. Adducitur historia exaugurationis Coloniensis Archi-Episcopi. 55. Querelæ tunc temporis quorundam Statuum ob eandem. 56. Progressus ulterior fit ad depositionem minorum officialium pœnæ loco faciendam, ejusdemq; requisita. 57. Suspensio ab officio non debet fieri sine causâ. 58. resignatione omne amittitur jus pristinum. 59. Resignatio ultra resignata non extenditur. 60. Quid de resignatione conditionatâ aut reservativâ. 61. Post renuntiationem ad resignantem nullum pertinet periculum. 62. Neque ullus datur regressus. 63. Resignans tamen poterit de novo ad officium vocari. 64. Olim resignantibus clericis justa provisio erat facienda, non verò hodiè. 65. Effectus depositionis, tàm 66. illius quæ sine culpâ præcedente, quàm quæ 67. ex delicto & culpâ præcedente fit. 68. Quando depositus ad officium possit redire? 69. An officialis restitutus de novo jurare debeat? 70. Effectus depositionis clericorum juxta Canones. 71. Qui aliquo modo diversus est à nostrarum Ecclesiarum usu. 72. Depositio simplex regulariter non mutat forum, secus ac 73. Degradatio. 74. Hujus Effectus. 75. Clericus degradatus, quando judici seculari traditur, pro eodem intercedi debet.

76. An,

76. An, si à statuto nobilis ab officiis excluditur, ad illa privatus nobilitate admittendus sit? remissivè. 77. Officialis injustè depositus quibus remediis utatur? 78. An clericus realiter degradatus possit appellare? 79. Affinia depositionis ac degradationis. 80. Contraria horum actuum. 81. Quomodo Doctor semel degradatus iterum possit doctorari? 82. Formula restitutionis. 84. Conclusio.

ABdicationem igitur ubivis locum habere, superius adducta satis demonstrant. Ut tamen ea licitè fiat, requisita pro di- 1
versitate dignitatum atque officiorum, ut & abdicationis ipsius, varia quoque deprehenduntur, horumq; alia esse in abdicatione spontaneâ alia in coactâ, eâque vel simplici, vel qualificatâ seu cum degradatione conjunctâ, cernimus. Et quidem ad quam- 2
vis resignationem in genere sine dubio necessarium est, ut (1) fiat liberè ac spontaneè, nec sit vi, metu, dolove extorta, *arg. c. 10. ✕. de ren. c. 2. & 4. de his quæ vi &c. Petr. Greg. cit. loc. l. 17. cap. 17. num. 1. Barbos. jur. Eccles. p. 3. c. 15. n. 116.* aliàs enim vel ipso jure nulla est *Azor. Institt. mor. l. 7. c. 26. qu. 3. Barbos. c. l. Rebuff. prax. benef. tit. de caus. resignationem irritantibus, per tot.* add. *l. 7. de dol.* vel iterum rescindenda *t. t. ff. quod vi metusve caus. Petr. Greg. c. l. c. 18. n. 2. & omn. Gallerat. de ren. t. 1. l. 3. c. 11.* metumq; vel vim talem inferentes, de jure Canon. præter pœnam excommunicationis, suspensione aut privatione beneficii puniuntur. vid. *c. 2. de pœn. in 6to.* (2) Ut resignaturus gaudeat potestate atq; faculta- 3
te renuntiandi. vid. *quæ cap. præc. diximus.* (3) Ut resignatio mo- 4
dò fiat in manus (α) illius, qui instituendi potestate pollet, (qualis est regulariter confirmans, non eligens. *Gallerat. de ren. cent. 1. renunt. 30. n. 11.*) aliter enim resignando nihil agitur, imò punitur contra-faciens *l. f. C. de defens. civ. Rebuff. c. l. t. de resign. expressâ n. 14.* vide tamen de renuntiatione beneficiorum tacitâ *Petr. Greg. c. l. l. 17. c. 17. n. 22.* Quod adeò verum est, ut licet quis vendendi vel 5
resignandi jus habeat in favorem alicujus, non prius tamen is, cui resignatur, jus ad munus consequatur, quàm constituens resignationem in suas quasi manus receperit, aut venditionem approbaverit. Quamvis enim officia quædam ita comparata sint, ut eorum resignatio regulariter libera esse soleat, interim tamen nihilominus munera talia quasi adhuc censentur in patrimonio Principis aut alterius constituentis, atq; saltem eorum exercitium aut administratio officialibus concessa, quæ in casu resignationis omninò non ad alium quàm quasi proprietarium redire debet, qui deinde

offi-

officium ſibi reſignatum eodem modo, ad preces abdicantis vel vendentis in reſignatarium vel emtorem rurſus confert, quo illud reſignans prius habuit. vid. *Perez. ad tit. C. de agent. in reb. n. 5.*
6 add. *Gallerat. de renunt. cent. 1. ren. 30. n. 5.* Cæterùm ex dictis patet ridicula Pontificis Romani, Pauli IV. circa talem reſignationis actum tempore Ferdinandi I. excitata controverſia, quâ contendebat, Carolo V. non licitum fuiſſe coronam Imperialem in alterius quàm ſuas deponere manus, quibus etiam motus diu Gusmannum, Ferdinandi legatum, pro Cæſareo admittere recuſavit, rectè tamen contradicente & tandem quoque obtinente prædicto Imperatore. vid. *omn. Limn. ad Capit. Ferdin. I. verb.* obangeregtes Keyſerthum. *n. 20.* add. *Schwed. Inſt. jur. publ. p. ſpec. ſect. 1. c. 32. n. 3. Thuan. l. 21. Wolff. tom. 2. rer. memorab. p. 814. & omn. Obrecht. diſ-*
7 *ſert. de abdicat. Carol. V. c. 3.* Vel (β) in manus ejus, ad quem ſucceſſio aliàs immediatè atq; neceſſariò perventura eſt, qualis eſt Rex Rom. ſi quis adſit, cui Electores electione ſuâ jamdum jus ſuccedendi conceſſerunt, atq; proximi agnati aliive neceſſarii ſucceſſores: Hinc neq; illos excludimus, qui dignitates ac officia ſua feudi jure aliunde recognoſcunt, ut ſunt Electores ſeculares atq; Principes Romani Imperii. *Struv. Synt. J. P. c. 3. aph. 7.* In quorum arbitrio eſt, velintne in manus domini, ſcil. Imperatoris renuntiare,
8 an proximorum agnatorum. *Struv. c. l. c. 12. aph. 14.* Hâc ſaltem inter Electores prædictos cæterosq; Principes Imperii obſervatâ differentiâ, quod, ſi accidat, ut reſignans nullos habeat capaces ſucceſſores, atq; ita tali reſignatione feudum ad Imperatorem revertatur, dignitas Electoralis eidemq; annexa jura neceſſariò alteri in feudum ſint concedenda (excepto noviter inſtituto Electoratu octavo, cujus reinfeudatio lineâ Heidelbergenſi aut Wilhelminâ Bavaricâ penitus extinctâ *per Inſtr. pac. art. 4.* expreſſis verbis prohibetur. *Schwed. Inſt. jur. publ. part. ſp. ſ. 2. c. 3. n. 8.*) *Limn. ad Capital. Carol. V. verb.* Fürſtenthum. *Schüz. de ſtat. rei Rom.*
9 *vol. 2. Diſp. 7. th. 17. l. b.* Cum econtra, propter nimiam diminutionem publicorum redituum, jam à Maximiliani I. temporibus aliud ſtatutum ſit, circa reinfeudationem aliorum Ducatuum &c. hinc ſæpius cautum reperimus. Ihro Majeſtät wolle die heimgefallene Lehen zu Unterhaltung des Reichs einziehen und incorporiren / bis ſo lange daſſelbige zu Weſen und Aufnehmen komme. vid. *Reinking. de reg. ſec. & eccl. l. 1. cl. 2. c. 9. n. 164. Roſenthal. de feud.*

c. 10.

c. 10. concl. 11. n. 11. add. *Capit. Ferdinandi II. verb.* Daß die Lehen. *Limn. c.l.* quamvis huic ſanctioni ob varias confraternitates, Imperatorias expectativas ac alias reinfeudationes, effectus adhuc hactenus defuerit. (4) Ad reſignationem in genere requiritur, ut fiat 10
tempeſtivè, ita ut neq; conſtituentis neq; Reipublicæ neq; Eccleſiæ interſit, reſignatum officium per alios expedire. Quodſi enim e. g. Princeps, eô tempore renuntiet, quô ob ingruentes rerum neceſſitates maximus ejus poſſit eſſe uſus, nullusq; reperiatur, qui vicem ejus cum laude ac Reip. utilitate replere poſſit, quamdiu in hujusmodi ſtatu civitas eſt, renunciaturus audiendus vix erit, quin potius invitus retinendus. Atq; deniq; (5) ut jus reſignan- 11
dum non ſit alienum, ſed proprium, renuntiatio ſiquidem eſt juris proprii dimiſſio. Add. *Petr. Greg. c. l. 17. c. 17. n. 15.*

In ſpecie autem quoad reſignationes clericorum (excepto 12
Pontifice M. qui Cardinalibus ſaltem ſententiam ſuam declaratoriam de Papatu renuntiando, ut ad alterius Pontificis electionem illico procedere poſſint, declarat; Non enim de Jure Can. acceptatio Cardinalium neceſſaria videtur, ſed Pontifex ſimpliciter declarare poteſt, ſe velle Pontificali dignitati renuntiare, hocq; modo intelligendum eſſe verbum, liberè, quo utitur *c. 1. de ren. in 6.* poſt *Burſ. Pariſ.* tradit *Barboſ. l. 1. Jur. Eccl. c. 2. n. 212. ſeq.* add. *Ziegl. ad Lancelot. Inſtit. Jur. Can. l. 1. tit. 19. §. 12.*) aliorumq; quibus vel ab initio ſuſcipiendi officii aut dignitatis neceſſitas incubuit, vel reſignationis libertas aliàs pacto, lege aut conſvetudine reſtricta eſt, indiſtinctè requiruntur (1) legitimæ & urgentes abdicationis cauſæ, 13
quæ ſicuti pro diverſitate officiorum variant, ita ſigillatim ac in univerſum recenſendæ vix erunt, earumq; determinationem omnium tutiſſimè arbitrio illius, qui easdem cognoſcit, dijudicandas relinquimus. Sanè Epiſcopis aliisqve hujus ordinis *in c. 10. ✠. de ren.* ſex præcipuè cauſæ aſcribuntur, quarum (1) eſt debilitas 14
corporis, talis ſcil. quæ officii adminiſtrationem ac exercitium impedit aut ſaltem difficile reddit, cui in *d. c.* annumeratur ſenectus, quæ & ipſa morbus eſt, cum autem ea de Jure Canon. tam præcisè definita non ſit, igitur potiſſimùm reſpiciendum putamus ad ſtatum ipſius Epiſcopi, qui ſi ita comparatus ſit, ut Eccleſiæ nihilominus utilis eſſe poſſit, Coadjutore potius eſt ſublevandus *c. 1. de renunt. Barboſ. Jur. Eccl. l. 3. c. 15. n. 90. & ad c. 3. ✠. eod.* Non ſecus ac in Jure civ. ſenes haud excuſantur à muneribus, quæ ſenectuti con-

conveniunt, atque ubi maximè senilis prudentia requiritur. *Brunnemann. ad tit. C. de Dec. n.93.* Impedimentum enim quodvis non ulterius excusationem præstat, nisi quousq; impedit. *Stryck. tr. de jur. sens. disp. 4. c. 2. n. 43. Brunnem. ad l. 2. C. de vacat. mun. num. 6.* add. *l. 2. §. 7. ff. eod. l. 3. C. qui morbo. Ziegler. ad Lancel. Instit. Jur.*
15 *Can. l. 1. tit. 19. §. 3.* (2) Imperitia enormis eorum præcipuè, quæ ad officii exercitium requiruntur. vid. tamen *cit. c. 10.* (3) Conscientia criminis, scil. talis, ob quod officii exercitium post peractam pœnitentiam impeditur (4) Irregularitas (5) Malitia plebis, cujus causâ gregi sibi subjectæ doctrinam amplius Episcopus dare nequit. (6) Deniq; scandali datio, de quibus omnibus videatur *Innocent. in cit. c. 10.* ✗. *de renunt. ibiq; Canonistas ac inter eos Innoc. IV. Barbos. Panormitan. Alteserr. Wagnereck. in summ. atq; præprimis Gonzal.*
16 *Tellez.* ubi insimul has causas per exempla declarat. Utrum verò tali causarum determinatione aliæ similes in renuntiationis admissione excludantur, meritò dubitatur, quamvis negativam analogiæ juris atque intentioni Canonum magis consentaneam esse statuamus, nec obstat *d. c. 10. §. verum.* ✗. *de ren.* ubi dicitur, ob alias causas renuntiationem affectantes audiendos non esse, causæ enim ibi intelliguntur diversæ, hinc *Lancel. lib. 1. Inst. Jur. Can. tit. 19. §. 7.* tradit, quod laboris declinandi gratia renuntiatio non valeat. neque enim hæc est causa, illis expressis similis, Conf. *Ziegl. in not. ad d. §.* ubi tamen exemplum ex actis Ephesinæ Synodi 3. Oecumenicæ de quodam Metropolitano recenset, qui curas molestias-
17 que, quas Episcopale munus afferebat, non ferens, libello oblato, ab Episcopatu ultrò se abdicavit. Cæterùm quoad nostras Ecclesias tám accurata causarum specificatio edita non est, atque regulariter in genere dicendum, quoties vel utilitas ac necessitas Ecclesiæ, vel ipsius ministri propria salus, resignationem svadet, toties eadem ab eo, qui jurisdictionem Ecclesiasticam habet, admitti debet, per ea quæ supra ex *Carpzov. def. Eccl. 125.* & *Stryck. ad Brunnem. Jus Eccles. l. 2. c. 4. th. 14.* aliisq; prolixè deduximus.

18 Neq; etiam causæ abdicationis Imperatoriæ expresse determinatæ leguntur, sed earum dijudicationem Electorum collegio meritò relinquimus, à quibus illæ, sive in se sint prægnantes, sive pro talibus ab iisdem habeantur, admitti possunt. *Limn. ad Cap. Ferdin. I. verb.* obangeregtes Röm. Keyserthum. *n. 19. in fin.* Quamvis enim in *Rec. Imp. de anno 1559. pr. verb.* aus mercklichen / grossen / tapfern

tapfern und trefflichen Ursachen/ tres præcipuè resignationis Carolinæ causæ, senectus sc. sexagenaria, debilitas corporis, viriumq; in- 19
dies crescens decrementum, exprimantur (vid. tamen *Obrecht. diss. de abdic. Carol. V. c. 2.*) eæ tamen semper ac unicè abdicationem non inducent. Quid nimirum, si Imperator in senectute quidem tali constitutus, aliove incommodo laborans, Reip. nihilominus
utilis esse possit? Sanè, sicuti hoc in casu Episcopis Coadjutor ple- 20
rumque adjungitur, sic quoque Ipsi Rex Rom., si ita Electoribus placuerit, addi poterit. vid. omn. *Limn. c. l. Conring. ad Lamp.*
l. 3. c. 2. n. 9. Exemplum rejectæ abdicationis quidam adducunt 21
in Henrico II. Imp. qui, cum, ut monachus fieret, Argentoratum concessisset, à Statibus ejus conatui contradictum, atque ad administrationem Imperii revocatus est, *Limn. c. l. num. 5.* Sed de hujus historiæ veritate valdè dubitat *Obrecht. c. l. c. 1.* Ut
autem hæ causæ rectè cognosci possint, sicuti in aliorum, ita 22
quoque Imperatoris resignatione, requiritur earundem ab abdicaturiente facienda propositio, has deinde examinant Electores, ac postea deniq; pro ratione qualitatis atq; circumstantiarum vel admittuntur vel rejiciuntur. add *cit. R. J. verb.* mit Vorwissen des H. Röm. Reichs Churfürsten.

Cæterùm causis ita legitimè propositis, examinatis atq; ad- 23
missis, accedere deinde debet (2) consensus illius, qui prius resignantem instituit, aut instituendi potestatem habet. vid. *c. 4. & 8. X. de ren.* (qui consensus, antequam intervenerit, resignatio quidem valida est in præjudicium resignantis, interim tamen per constituentem adhuc poterit repudiari. *Petr. Greg. c. l. 17. c. 17. n. 23. Barbos. Jur. Eccl. l. 3. c. 15. n. 18. Garcia de Benef. p. 11. c. 3. §. 3. n. 220.* Idem quoque obtinet in resignatione factâ coram alio quàm collatore, ita ut hic resignationem ratam habere possit, & eum, qui ita renuntiavit, etiam invitum privare. *Laymann. Theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 17. n. 4.* Ex quibus patet, veram officii vacationem haud induci per resignationem factam coram Notario & testibus,
sine superioris consensu. *Wames. cons. 247. n. 22.* Hic autem, si justa re- 24
nuntiationis causa adsit, eam omninò necessariò admittere debet, atq;, si malitiosè recuset, ad id cogendus est. *Gl. ad cit. c. 4. verb. in-*
consultò. Layman. c. l. Hæc verò Canonistæ non extendunt ad 25
eum, qui per literas Pontificis saltem jus ad rem seu beneficium consecutus est, cui impetrans etiam sine consensu legitimè renun-

tiare dicitur. vid. *Laymann.c.l.* & *Barbos. passim.* quod alii etiam ad jus dubium ac litigiosum referunt, quatenus scil. resignatur litiganti non tertio. *Rebuff. prax. benef. tit. de resignat. expressâ n. 12.*
26 *Gallerat. de renunt. t. 2. cent. 1. ren. 31. n. 12.* Quando autem apud clericos juxta Canones ille consensus interponi debeat, ex Constitutione Gregorii III. *de public. resign. incip.* demonstrat *Barbos.*
27 *Jur. Eccl. l. 3. c. 15. n. 113.* Ex dictis igitur liquet, neq; Imperatoris Romani abdicationem procedere, nisi interveniente consensu Electorum, prout jam antea in c. 1. demonstravimus, quod idem Carolus V. benè prospiciens, in Imperii Romani atq; regnorum hæreditariorum abdicatione, plane diverso resignandi modo usus est. Cum enim antea Philippo II. filio hæreditaria regna, saltem præcedente aliquâ subditorum certioratione atq; quibusdam solennitatibus, tradidisset, tandem reliquum vitæ tempus sibi imposterum daturus, literis primò hoc suum propositum Ordinibus Imperii explicabat, *sed cum* (verba sunt Thuani) *minimè ignoraret, secundum Deum, penes Septemviros, à quibus in Cæsarem electus, eligendi, cessionis atq; abdicationis accipiendæ, omne jus residere, idq; citra eorum consensum ac autoritatem fieri non posse sciebat, honorificam ad eos adornaverat legationem.* Hæc cit. *Thuan. ad ann. 1555. in fin.* add. *Gregor.*
28 *Leti in vita di Filippo II. Rè delle Spagne p. 1.* & *Obrecht. c. l.* Interim tamen adhuc dubii quid facit, investitura Electorum ac Principum Imperii &c. Ecclesiasticorum. Illos siquidem duplicem personam, aliam scil. ratione Ecclesiæ, aliam ratione territorii, cui præsunt,
29 præsentare, notum est. *Gastel. de stat. publ. Europ. nov. c. 15. pr.* Illam accipiunt hodiè, deplorabili Germaniæ fato, regulariter à Pontifice M. hanc verò ab Imperatore Romano, nexu interim adeò inseparabili, ut licet in se officia sint diversissima, unum tamen ab altero esse nunquam possit, isq;, quem Capitulares in Archi-Episcopum elegerunt, Electorali dignitate atq; regalibus ab Imperatore exornari omninò debeat. *Hermes. fasc. jur. publ. c. 13. n. 30.* Jam autem alia resignationis forma est in Episcopis ratione Ecclesiasticæ dignitatis, alia ratione secularis. Sanè sicuti nullâ hactenus Imperii lege, hoc directò determinatum est, ita, meo quidem judicio, Electores Ecclesiasticos communi Episcoporum regulæ subjiciendos
30 putarem. Add. *Sinolt. Schüz. c. l. disp. 7. th. 6. lit. A.* ita tamen, ut ob duplicem, quam repræsentant, personam, quoad consensum utriusq; quoque conferentis rationem habeant. Ex hisce interim patet, longè

longè faciliùs posse renuntiare Electores Principesq; Imperii purè seculares, quam Ecclesiasticos, utpote ad quorum abdicationem, quoad hodiernam Pontificum praxin, prægnantissimæ requiruntur causæ, canonum autoritate corroboratæ, Papæq; insimul approbatione munitæ, quæ tamen omnia ad Protestantium Episcopatus extendenda non sunt.

Cæterùm præter jam adducta in specie adhuc in resignatione 31 Episcoporum &c. requirunt quidam, ut illa fiat (1) in scriptis per *c. 11. c. 7. qu. 1.* ne scil. postea facta revocetur in dubium, & si voluerit postmodum resignans beneficium repetere, propriâ scripturâ ei possit obviari, quod tamen, secundùm Canones de formâ essentiali esse, vix asserere ausim, contr. *Rebuff. prax. benef. tit. ratione personæ. num. 17.* (2) ut observentur regulæ 2. Cancellariæ 32 Rom. quarum prima de infirmis resignantibus coram Pontifice in favorem ita constituit, ut collatio facta in vim resignationis, vel resignatio in favorem, non valeat, nisi resignans in infirmitate constitutus, supervixerit per 20. dies. Rationes hujus regulæ & ubi obtineat? vid. *ap. Gomes. ad eand. ut & Petr. Greg. c. l. 17. c. 18. n. 7.* Altera verò, ut beneficiorum quorundam resignatio intra certum tempus publicetur, de quibus omnibus vid *Rebuff. c. l. in regul. de publ. resignat. Barbos. Jur. Eccl. l. 3. c. 15. n. 187. Gallerat. c. l. ren. 31. n. 20.* aliosq; passim. (3) ut non fiat in manus laici *c. 8. X. de renunt.* Hoc enim facto, beneficium non tàm virtute re- 33 nuntiationis, quàm in pœnam, vacat, quia ex eo, quod in manus laici renuntiat clericus beneficium, grave crimen committit, cum tot Juris Canonici sanctionibus legibusq; prohibitum sit, ne liceat beneficia accipere à laicis, aut in eorum manus renuntiare, ut post multos allegatos latè probavit *Gonzal. Tellez. ad c. 43. X. de elect.*

Sic quoq; resignatio Electorum Principumq; Imperii in specie, 34 fieri debet bonâ fide, & non in fraudem Imperii ac Imperatoris *Aur. Bull. c. 14. per tot. ibiq; Dd.* Quemadmodum etiam resignatio 35 Ducum Circulorum ipsis libera quidem est, ne tamen fiat intra annum suscepti officii. *Recess. Imp. de anno 1555. §.* Neben dem soll es auch. 74. *verb.* So soll auch entgegen der Oberste zu solchem Ampt nicht für und für verbunden seyn / sondern dasselbe nicht länger / dann seine Gelegenheit / doch nicht weniger als ein Jahr lang / zu tragen / schuldig seyn. Add. §. 75. ubi forma hujus abdicationis ita de-

 scribi-

scribitur: Und da einer diesem Ampte nicht länger vorseyn wolte/ soll er dem ausschreibenden Kreyß-Fürsten solches 6. Monat zuvor zu erkeñen geben/die andern Kreyß-Stände zu beschreiben/oder da der ausschreibende Kreyß Fürste selbst ein Oberster wäre/daß er auch zuvor die andern desselbigen Kreyßes-Stände gleicher Gestalt beschreibe/und vor ihnen sein Ampt aussage/darauf sie alsobald einen andern an des Abgestandenen statt zu setzen. Add. §.*76.* ubi de resignatione illorum, qui hisce Ducibus adjuncti sunt. Atq; hæc de renuntiationis formâ.

36 Quemadmodum autem alios non nisi extraordinariè, alios saltem difficulter, alios deniq; pro lubitu deponi posse, antecedens caput demonstravit; ita triplici huic classi, triplicem quoq; adscribimus formam. Priori subjicimus omnes principes neminem

37 in hisce terris agnoscentes superiorem, quô respectu etiam ipsum Rom. Pontificem ratione potestatis secularis talem vocare possemus, si illa potestas ullo modo ab Ecclesiastica separanda esset, quod cum fieri nequeat, ac secularis dignitas ab alterâ dependeat, alteri classi, cæterisq; Episcopis veniet annumerandus. Secundæ, omnes dignitates atque officia Ecclesiastica, cujuscunq; sint ordinis, nec non Principes, aliosq; feudi jure officia & dignitates suas aliunde recognoscentes. Tertiæ deniq;, officiales & ministros minores, respectu scilicet depositionis simplicis, quæq; non in modum pœnæ peragitur, aut cum degradatione conjuncta est.

38 Quod priorem classem concernit, meritò exauctorationem Principum independentium remedium aliquod extraordinarium vocavimus, unde insimul patebit, quàm ardua illa sit, atq; non adeò temerè suscipienda, sed prius omnia tentanda, quàm ad hujusmodi præcipitium perveniatur. Neq; enim quasvis causas depositioni tali aptas esse statuimus, sed gravissimæ & prægnantissimæ sint oportet, ex quibus totius Reip. saluti inevitabile periculum imminet. Cum autem illæ expressis regulis haud determinentur, atq; per consequens easdem sigillatim hic recensere prohibeamur, igi-

39 tur sufficiat nobis generalis regula, quod, quoties Rex aut Imperator, rejectis omnibus admonitionibus, abscissâ subditis omni aliâ refugii viâ, talem se in Rep. gerat, ut ex ipsius irregulari regimine salus totius populi exitiale sentiat malum damnumq; vix reparabile, nullaq; speranda sit melioris frugis recuperatio, toties tandem, perpensis probè singulis, communi vel omnium statuum, vel saltem eligentium consensu, ad extraordinarium istud remedium refugiendum

dum sit, quæ omnia Wenceslai atq; Adolphi Nassovii, aliorumq; exauctorationes, non nisi gravi consilio, tentatisq; prius omnibus, susceptæ, sufficienter confirmant. vid. *Schwed. c. l. p. 1. s. 1. c. 32.* aliique supra allegati. & *omn. Heiss. dans l'histoire de l'Empire part. 2. livre 4. p. m. 47. seq.* ubi de materiâ abdicationis Imperatoriæ plura.

Quicquid porrò Canonistæ circa remotionem Pontificis sta- 40
tuant, eamq; tàm arctis limitibus circumscribant, ut ipsius causa in sola ferè hæresi consistere debeat, aliasq; Papæ culpas redarguere omnibus mortalium, juxta eosdem, videatur prohibitum, cum cunctos ipse judicaturus, à nemine sit judicandus, nisi deprehendatur à fide devius. c. *6. dist. 40.* (cujus tamen autoritatem ne ipsi quidem Pontificii scriptores omnes agnoscunt. vid. *Barbos. ib.*) Nos inde meritò cum *Gloss. ad cit. c. 6. dist. 40.* recedentes, non ob hæresin saltem, sed quodcunq; crimen notorium, quô scandalizatur Ecclesia, haud secus ac cæteros Episcopos, illum posse accusari atq; deponi, judicamus. Quo fundamento etiam innitens Otto M. Imp. Johannem XII. Pontificem convocatâ Synodo, ideò, quod sacrilegii, incestus, homicidii ac perjurii crimine imbutus esset, removendum curavit. vid. *Carpz. ad L. Reg. Germ. c. 2. s. 4. n. 14.* & *Heiss. c. l. p. 1. l. 2. p. 112.* quod factum injustè reprehendit acutissimus 41
aliàs Thesaurus, in vitâ Adelberti II., quamvis idem penitùs negare nequeat, crimina prædicto Innocentio objecta, à veritate forsitan adeò aliena non fuisse. add. *cit. à Carpzov. Anton. de Rosell. de potest. Imp. ac Pap. p. 1. c. 61.*

Ut autem depositio Pontificis, Cardinalium, Episcoporum 42
aliarumq; personarum Ecclesiasticarum ritè fiat, itidem requiruntur (1) prægnantes causæ ac delicta graviora. *c. 6. de pœn. Petr. Greg. c. l. l. 31. c. 30. n. 4.* quas sigillatim recenset *Hostiens. in Summ. tit. de accusat.* §. *quis sit effectus verb. tradunt. Azor. Institt. mor. p. 2. l. 6. c. 7. l. A.* Nam si quis ob aliquam saltem supervenientem infirmitatem officio suo Ecclesiastico amplius sufficere nequeat, Coadjutore potius est sublevandus. *t. t.* ✠. *de cler. ægrot. Petr. Greg. c. l. n. 2.* vid. tamen *c. 3.* ✠. *eod.* ad quod respondet *Hermes fascic. jur. publ. c. 13. n. 31* (2) ut præcedat causæ cognitio instituenda vel (respectu scil. Pontificis) à Concilio generali, præside Imperatore, vel (respectu aliorum) mox à Pontifice, mox ab imediatè superiore. Atq; (3) interveniant regulariter admonitionum gradus, vid. *c. 19. c. 11 qu. 1.* quos eundem Ottonem Imp. atq; Imperii Electores ante exauctorationem prædicti Johannis XII adhibuisse, testis est, *cit. à Carpz.*

43 *à Carpz. Rofell. c. l.* & *Platina de vit. Pontif. p. m. 289.* Quod ſi verò perſona depoſita planè ſit incorrigibilis, atq; pro tali per ſententiam judicis Eccleſiaſtici fuerit declarata *Zoeſ. tit. X. de pœn. n. 13. Petr. Greg. c. l. n. 6. in fin.* tunc demum remotionem ſequitur quandoq; plenaria degradatio. *Card. Tuſch. pract. concl. 140. n. 1. l. D.* cujus formam atq; ſolennitates jam in primo capite ex *c. 2. de pœn. in 6to.* adduximus, easq; in omni degradationis canonicæ actu ne-
44 ceſſarias eſſe, contra quosdam, ſtatuimus. Cæterùm quæ hactenus diximus, non incongruè quoque ad miniſtros Eccleſiarum Proteſtantium referri poterunt, ita ut causâ juſtâ, ejusdemq; cognitione prius interveniente, atq;, ubi ſcil. non tàm de atrocioribus delictis, quàm pravis motibus, neglecto officio ac vita diſſolutâ quæritur, præviis admonitionibus. vid. *omn. Carpz. def Eccl. 112.* deponi queant, quod partim ob favorem perſonæ, partim verô Eccleſiæ introductum eſſe, idem *c. l.* egregiè demonſtrat. Quid tamen quoad degradationem in noſtris Eccleſiis hodiè obtineat, ſupra jam adductum fuit. Atque hæc de perſonis Eccleſiaſticis dicta ſufficiant.

45 In Exauctoratione Electorum Principumq; aliorum, feudi nexu quoad ſua officia dignitatesq; obſtrictorum, ut multis immoremur, non erit neceſſarium, cum ea ex feudorum principiis naturam ſuam atq; formam ſortiantur. Notum ſiquidem eſt, Imperatores Rom. conceſſiſſe inveſtiturâ Principibus Imperii Ducatus, &c. cum omnibus pertinentiis & ſuperioritatis juribus, non ad tempus,
46 ut olim, ſed perpetuò, unde pro lubitu deveſtiri, niſi ob feloniam commiſſam, etiam de plenitudine poteſtatis non poſſunt. *t. t. de feudis ſin. culp. non amitt.* locumq; hic habent feudorum circa talem privationem conſtitutiones, niſi quid ſpecialiter de iis in jure publico ſtatutum ſit. *Roſenthal. de feud. c. 10. concl. 11. n. 4. p. 41.* &
47 *concl. 42. n. 33.* Quemadmodum ergò feudorum regalium apertorum reinfeudationem per Capitulationes Cæſareas ita reſtrictam videmus, ut ea ſine conſenſu Electorum aut Statuum de novo concedi nequeant. *Capit. Ferd. II.* & *III.* §. wenn auch Lehen dem Reich 28. *Knipſchild. de jur.* & *priv. Civit. Imp. l. 2. c. 4. n. 46.* ita quoque eorum privatio, tanquam res magni præjudicii, ſoli Imperatori non competit, ſed conſenſus Ordinum, aut ad minimum Electo-
48 rum accedat, neceſſe eſt, juxta *Capitul. Leopold. art. 28.* Primus quidem, exemplo planè novo, Caroſus V. ſibi ſoli præſcribendi & privandi licentiam ſumſit, quem in hôc puncto ſecutus eſt Ferdinandus II.

dus II. qui inconſulto Electorum collegio cæterisq; Imperii Statibus, re ſaltem cum nonnullis Electoribus communicatâ, Fridericum V. Palatinum aliosq; Principes conjunctim unis literis, apud *Lundorp. tom. 1. l. 6. c. 2.* extantibus, proſcripſit, atq; feudis regalibus privavit, cui rei non ſolùm Elector Saxoniæ & Brandenburgicus ſe oppoſuerunt, ſed &, ut impoſterum obviam irent omnes 49
Electores, Ferdin. III. Capitulationi inſeruerunt, ne quisquam ex Statibus Imperii, inconſultis Electoribus, proſcriberetur, quod repetitum fuit in *cit. Capit. Leopold.*, quo tamen non contenti reliqui Imperii Status, ſuum ſimiliter requiri debere præſcitum, poſtularunt *in monit. Princip. Evangel. ad Capit. Leop.* add. *Instrument. Pac. art. 8. §. habeantur.* in quo cavetur, quod in proximis Comitiis, communi conſenſu de modo & ordine in declarando uno vel altero Statu in bannum Imperii ſervando agi ſtatuiq; debeat. Conf de privatione Electoratuum *tractat. de Octovir. c. 23. n. 20. ſeq. Limn. ad Capit. Ferdin. III. art. 30. verb.* Churfürſten. *Schwed. de jur. publ. p. ſp. ſect. 1. c. 21. n. 2.* ubi inſimul agit de privatione per bannum Imperiale. Ex quibus igitur cauſis alia amittuntur feuda, ex iis- 50
dem quoque Principes dignitatibus & principatibus ſuis meritò privantur, hôc ſaltem obſervato, præter communes privationis cauſas in noſtro Imperio adhuc adjici (1) crimen læſæ Majeſtatis *A. B. t. 24.* (2) declarationem banni. Erklärung des Land-Friedens *de anno 1500. verb.* was aber Lehngüter. (3) fractionem pacis publicæ. *Pac. de anno 1522. verb.* ſo auch in obgemeldten. (4) conſpirationem in collegia illicita. *R. I. de anno 1555. verb.* daß auch die Obrigkeiten. §. 7. *Spreng. J. P. l. 2. c. 41. tit. de cauſis amitt. feud.* & quæ aliæ *in Conſtitt. Imp.* occurrunt. De Archi-Epiſcopis autem 51
Electoribus cæterisq; omnibus perſonis Eccleſiaſticis in noſtro Imperio, Pontificiæ religioni addictis, ſecularem ſimul dignitatem, eiq; adhærentia regalia poſſidentibus, id in confeſſo eſt, quod ratione ſolùm bonorum Imperio immediatè ſubſint, eaq; ab illo recognoſcant; ratione verò ſuæ perſonæ, & quatenus conſiderantur ut Eccleſiaſtici, Papæ Rom. ſubjaceant, nec Cæſar nec Imperium Germ. in eos ullam poteſtatem habeat, vigore Concordatorum Frider. III. cum Nicolao V. Pontif. initorum. Unde quidem Imperator illos, quatenus ſunt Eccleſiaſtici, banno Imperiali ferire nequit. *Blum. in Proc. Cam. tit. 29. num. 114.* quatenus tamen feuda regalia aliaque privilegia ab Imperio habent, eatenus jurisdictioni

ni Cæsaris subsunt, atq; ab eo, perinde ut alii Principes, beneficiis
suis iisdemq; annexis officiis privari possunt. add. *Limn. J.P. c.3.*
n.56. Mynsing. cent.5.O.58.n.6. Blum. c.l. n.184. (ubi hæc quidem vera
52 esse dicit in personis Ecclesiasticis Catholicis; Nam Ecclesiasticos
cæterarum religionum, æq; ac laicos, per bannum Imperiale à Cæ-
sare proscribi posse, censet, cum Pontificis jurisdictio quoad hos su-
53 spensa sit per *R.I. de an.1555.* §.damit auch.) Quia tamen dignitas Ec-
clesiastica cum seculari hodiè, uti dictum, cohæret, ad hoc, ut utrâq;
prædictæ personæ Ecclesiasticæ priventur, & Pontificis & Impe-
54 ratoris consensus simul accedat privationi, necesse est. Sane nota-
bilis hâc de re controversia mota est superiori seculo, occasione
exauctorationis Electoris Coloniensis, Gebhardi Truchsesii, quam
pro more eruditè refert *Thuan. ad ann.1584. l.78. seq.* quantumq;
præjudicii tali similive Pontificum usurpatione, Caroliq; V. tunc
temporis, intuitu magis rationis alicujus politicæ, quàm juris (quod
Pontifici eâ in re competere ipse prætendebat) conniventis, orta
nobis sit, ipsissimæ eo tempore à quibusdam Imperii Statibus pro-
55 pterea motæ querelæ, satis demonstrant; Novum enim & nus-
quam auditum in Imperio exemplum dari querebantur, ut Ponti-
fex, ignaro Cæsare, inconsultis tàm Ecclesiasticis quàm reliquis Se-
ptemviris, pro suâ libidine, ArchiEpiscopum & Septemvirum in-
auditum loco ac dignitate submoveret. vid. *Thuan. c. l.* Interim
hæc omnia saniori aliorum judicio meritò relinquimus. Cæte-
56 rum mediæ huic classi etiam subjicimus depositionem minorum
officialium, pœnæ loco faciendam, vel cum degradatione con-
junctam. Quemadmodum enim illa præsupponit culpam præce-
dentem sibi proportionatam, ita necessariò quoque requirimus
(1) causam satis gravem, atq; etiam interdum infamantem, veram
& probatam. *Sande Dec. Fris. l.5. t.10. d.2.* add. *Knipschild. c.l. l.2,*
c.8. n.167. ubi aliquas remotionis causas recenset. (2) accurata
causæ cognitio itidem præcedere debet, utpote sine quâ de culpæ
alicujus qualitate regulariter constare nequit. *Marta Digest. noviss.*
t.4. verb. officialis. c.22. Illâ autem pendente, jubendus interdum
est officialis à muneris exercitio abstinere, usque dum vel conde-
mnatus fuerit, vel legitimè se purgaverit. *v. l.17. §.12. ad municip.*
l.7. de mun. Sande c. l. Carpzov. defin. Eccles. 115. seq. add. *dissert.*
57 *de suspens. ab offic. sub Præs. Dn. Stryck. hab.* ita tamen, ut etiam
talis suspensio temerè nunquam fiat, per ea quæ tradit *Gail. p.2.*
Cons. 8.

Conf.8. num.72. seq. Plura de degradatione videsis apud *Petr. Greg.*
c. loc. ubi insimul de cinguli militaris privatione, atq; *Canonistæ*
passim.
Abdicatione ita legitimè factâ, resignatarius regulariter 58
omne amittit jus ac emolumentum, quod hactenus in officio &
beneficio habuit, ita ut illud ipso facto penitus vacare dicatur, *arg.*
c.6. de rescript. in 6to. c. 3. X. de ren. Wamesf. Conf.341. n.1. Barbos. Jur.
Eccl. l.3. c16. n.148. Imò ipse Imperator aliæque similes personæ il-
lustres imperium abdicando, aut manifestè pro derelicto habendo,
regulariter privatorum conditionem induunt, omniaq; perdunt,
quæ ipsis hactenus ratione illius dignitatis atq; officii competie-
runt. vid. *Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 4. n.9.* Interim tamen hæc ul- 59
tra renuntiata non extenduntur, cum renuntiatio, utpote stricti
juris, in uno, non inducat exclusionem in alio. *L.21. de S. II. P.*
l.13. C. de jur. delib. l. 1. §. 11. de succ. edict. add. *Barbos. thes. locupl.*
verb. renuntiatio. ax. 14. & 16. Hinc si talis renuntiatio fuerit vel 60
conditionata, conditione aut pendente, aut penitus non existente,
resignatio quoque sub eâ celebrata suos non sortietur effectus. *arg.*
l.8. de per. & comm. rei vend. l. 14. de novat. l. 71. §. 4. de condit. &
dem. add. *Chockler. ad reg. Canc. Ap. 43. n. 15. seq.* Vel reservati-
va, tunc ea, quæ, consentiente eo qui constituit, in abdicatione re-
servata sunt, etiam post illam ritè peractam salva manent. Præter- 61
ea quoque per superius dicta ad resignantem officii resignati,
post ejusdem realem resignationem amplius non spectat pericu-
lum, *arg l.f. C. de per. tut.* neq; etiam regulariter ipsi ad illud datur 62
regressus. *arg. l.17. §.1. de acquir. hæred. l.14. §.9. de Ædil. Edict. l.11.*
si quid in fraud. patr. l. 14. l. 29. C. de pact. l.f. C. de pact. pign. c. 3. X.
de renunt. l. 11. C. de R. C. vid. *Mev. p. 1. dec. 71. n. 2. & p. 6. dec. 264.*
Barbos. c.l. l. 16. c. 31. ax. 2. & Jur. Eccles. l. 3. c. 15. n. 155. (Pœniten-
tiæ tamen hic locum esse, re adhuc integrâ, statuit cum aliis *Gal-*
lerat. de renunt. cent. 1. ren. 30. n. 12.) Sed pro intruso habetur, qui 63
ulteriori possessioni insistit. *Wamesf. c. l. n. 2.* Interim tamen libe-
rum est collatori, officium resignatum resignanti iterum de novo
conferre, hicq; illud licite recipere rursus potest, licet renuntiatio
facta fuerit cum juramento amplius non repetendi. *Gonzal. Tellez.*
ad c. 2. X. de ren. quod tamen limitant Canonistæ in Episcopo re-
nuntiante ob criminis conscientiam &c. qui de novo neque eligi
neque postulari potest, secus si ob plebis malitiam aliamve simi-

lem causam resignaverit. *Host. in Summ. tit. de renunt. verb. quis sit*
64 *Effectus*. Cæterum hoc adhuc de clericis in ordine constitutis notandum est, olim iisdem resignantibus competentem provisionem fuisse faciendam, ne in ministerii vituperium defectum in temporalibus paterentur. *Host. c. l.* Verùm istud post Concilium Tridentinum hodiè amplius non videtur utile, cum secundùm hujus sanctionem *Sess. 21. c. 2. de reform.* nemo ad sacros ordines promoveatur, nisi legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum possidere pacificè, quod sibi honestum suppeditet victum; neq; illud resignare possit, nisi aliunde habeat, unde commodè vivere queat. *Chockier. c. l. n. 59.*

65 Tandem eodem modo, quo per abdicationem spontaneam, officium quoq; per depositionem atq; totalem degradationem vacat, fructus cessant, salarium ordinarium desinit, administrationi interdicitur, ejusdemq; periculum ad deponentem redit, hac saltem inter missionem honestam ac inhonestam, quæve ob culpam aliquam præcedentem per modum pœnæ fit, observatâ differen-
66 tiâ, quod in illa famæ periculum remotum adeò non maneat, ut potius (emeritus præsertim, ein alter zu Ruhe gesetzter Diener) priores honores titulotenus plerumq; retineat, missione honestâ dimittatur (cujus egregium nobis exemplum suppeditat Alexander Severus Imp. Rom. qui, quoties vivo officiali surrogabat successorem, his eundem dimittebat verbis: grates tibi agit Resp. *Lamprid. in ejus vitâ.*) literis testimonialibus seu honorariis (Abschieds-Brieffen) instruatur *v. l. 7. C. de fid. Instr. l. f. C. de Profess. & Med.* ac deniq; annuo quodam quasi salario (mit Gnaden-Geldern) interdum ipsi prospiciatur; Quod tamen ultimum de illis, qui propriis sumtibus sibi suisq; sufficiunt, vix dicendum. add. *Ordin. Polit. Sax. de anno 1612. tit.* Von Consistorial-Sachen / *verb.* sondern es soll allein derjenige dessen geniessen / welcher in Warheit einiger Provision bedürff-
67 tig. In ea autem remotionis specie, quæ ob culpam aut præcedens delictum facta, longè aliter se res habet, neq; dignus est ullo favore, qui se se eodem ex propriâ malitia indignum reddidit. Hinc si officialis removetur ob culpam ratione ipsius officii commissam, neq; ad illud, neq; aliud, de jure civili videtur posse redire *l. 5. C. de*
68 *div. off.* add. omn. *Capyc. dec. Neapol. 121. n. 17. seq.* Quod si vero extra officium delictum perpetratum sit, ob quod ab illo excluditur, tunc itidem regulariter quidem ulterior aditus denegatur, *arg.*

l. 12. C. de dign. l. 12. C. de Suscept. interim tamen remotus ex speciali Principis rescripto, legitimè, hoc est, non sub & obreptitiè impetrato, amissum aliudve officium recuperare potest. *arg. l. 11. C. de Cohort. l. un. C. de amb. l. 12. C. de Suscept.* quod tamen sine gravi causâ, perpensisq; benè omnibus fieri nunquam debet. *Matth. Stephan. de Jurisd. l. 2. p. 2. c. 2. n. 237.* Leges enim malè de eô præsumunt, qui semel officio indignus judicatus est. *Brunnem. ad cit. tit. C. de divers. off.* add. *Knipschild. de jur. & priv. civ. Imp. l. 5. c. 10. n. 29.* vid. *omn. Stephan. c. l.* add. *Cothmann. vol. 3. resp. 8. n. 72.* Atq; ita conciliari possunt textûs aliàs obstantes in *c. l. 5. C. de div. off. & l. 11.*
C. de Cohort. An verò remotus ab officio, ac postea ex gratia singu- 69
lari restitutus, jurare iterum debeat? multi dubitant, affirmativam tamen in suis judiciis receptam esse testatur *Marta. Dig. nov. t. 4.*
verb. officialis c. 37. Idem quoque de Episcopis aliisque clericis de- 70
positis est dicendum, ita ut restitui nequeant semel dejecti. vid. *Franc. de Roye Institt. jur. Can. l. 3. t. 12.* Hinc plerumq; apud Pontificios in monasterium detruduntur ad pœnitentiam agendam, ex quô deinde regulariter iterùm revocari ad Episcopatum &c. nequeunt. *Barbos. ad c. 11. de ren. & Jur. Eccl. l. 1. c. 8, n. 125. Petr. Greg. Synt. jur. un. l. 31. c. 30. n. 6.* Ea tamen, quæ ordinis sunt, nec non immunitates atq; privilegia tali depositione simplici non amittuntur. *Carpzov. def. Eccl. 109. n. 15. & def. 117. n. 3. Zoes. ad tit. X. de pœn. n. 6.* Hinc clericus depositus verè consecrat, Episcopus verè ordinat, & confirmat, si adsit debita forma, materia,
intentio legitima. *Zoës. c. l.* Nostrates verò sacerdotes quod atti- 71
net, illi, si e. g. ob vitam dissolutam ac scandalosam, officio privati sunt, si apparet, eos ad bonam frugem rediisse, non rarò sacris iterum officiis adhibentur. vid. *Constit. El. Sax. tit.* von *Consistorial-*
Sachen. *§. 18.* Hoc quoq; omni depositioni, præsertim clericorum 72
commune videtur, illam vel nunquam, vel rarò forum mutare, neq;
veram infamiam semper inferre. vid. *§. 6. J. de suspect. tut.* quod 73
tamen efficit degradatio ex delicto proveniens. *Zoes. c. l. n. 12. l. 5. §. 2. de extraord. cogn. l. 2. §. 2. verb. sed &. de his qui not. infam. l. 2. ff. de hered. l. 3. §. 5. de test. c. 2. de pœn in 6to. Brunnem. Jur. Eccl. l. 2. c. 19.*
n. 4. Hinc clericus realiter degradatus puniendus traditur judici 74
seculari *cit. c. 2. de pœn. in 6to.* qui ipsi deinde congruam infligit pœnam. *Ziegl. ad Lancel. §. 5. de depos. & degrad.* Ideò enim degradatio eamq; subsequens traditio fit, ne clerici in clericatu, ob Ordinis reverentiam, turpiter moriantur. *Gail. de P. P. l. 1. c. 1. n. 20.*

 & quia

& quia Ecclesia à profusione sanguinis abhorret, atq; ita casu exi-
75 gente eamdem seculari judicio relinquit, cum intercessione tamen ab ecclesiastico judice faciendâ pro degradato, ne pœna mortis afficiatur. vid. *c. 6. ✕. de Immun. Eccl. c. 21. de homicid. & c. 27. de V. S.* ubi quidem additur verbum: *efficaciter*, quô non tàm hoc denotatur, quod Episcopus sit obligatus, ut reum quôvis modô à pœnâ liberet, aliàs enim in enormibus criminibus frustranea esset hæc traditio, sed hoc solùm indicatur, quod seriò & ferventer intercessionem suam facere debeat, ad ostendendam mansvetudinem Ecclesiasticam. *Engel. l. 6. Colleg. Jur. Can. tit. 27. n. 14.* De usu
76 nostrarum Ecclesiarum jam antea egimus. De quæstione autem, an, si à statuto nobilis ab officiis excluditur, privatus nobilitate, ad illa admittendus sit? vid. *Marta. Dig. noviss. tom. 4. verb. officium. c. fin.*

77 Quod si autem officialis subalternus (de illis enim qui summâ aliquâ dignitate politicâ gaudent, nobis hic non est sermo) injustè inq; contumeliam & iniquum damnum aut pœnam, vel ab eo, qui removendi potestatem non habet, remotum se sentiat, tutus erit actione injuriarum, mandati, aliusve contractûs, per quem antea constitutus fuit, appellationis, possessoriis aut deniq; supplicationis remediis, de quibus vid. *Mev. p. 2. Dec. 12. Blum. Proc. Cam. tit. 34. n. 150. Köppen. us. pract. l. 2. O. 79. n. 7. Besold. Thes. pract. verb.* Entsetzung der Ehren. *Mart. Dig. nov. t. 4. verb. officialis cap. 35.* quod in tantum extendunt Dd. ut quis actionem vel exceptionem spolii habeat, si sine causæ cognitione etiam ob delictum, verè perpetratum, deponatur. *Berlich. p. 1. concl. 21. n. 42.* vid. tamen *l. 3. C. quor. app. non recip.* ibiq; *Brunnem. & Jac. Gothofr. in C. Theod. eod. tit.*
78 Idem appellationis remedium concedit Pontifex clericis injustè degradatis, ita, ut si innocentes reperiantur, gradus amissos recipere debeant coram altari de manibus Episcoporum &c. *c. 65. c. 11. q. 3.*

79 Affinis huic degradationi atq; depositioni est regradatio, quando officialis non omnibus, sed superioribus tantùm gradibus, inferiores retinendo, pellitur. vid. *l. 2. C. Theod. de curs. publ. & Ezechiel. 44. vers. 10.* Cumq; hâc convenit translatio, quando quis in pœnam, ab opimiori officio ad sterilius translocatur, hanc autem à regradatione in eo differre putamus, quod regradatio semper sit depulsio à superiori gradu ad inferiorem, hâc verò gradus prior interdum salvus maneat, atq; saltem quoad emolumenta officii aut fructus, retentâ priori dignitatis qualitate, in alio tamen officio aut loco, conditio officialis deterior reddatur, wann e. g. einer von ei-

ner

ner wohleintragenden Pfarre/zu einer schlimern transferirt wird. Deq; hâc translocatione videantur præ cæteris *Brunnem. Jur. Eccles. l. 2. c. 19. n. 3.* ubi eandem sibi præ remotione placere ait, & *Carpz. def. eccl. 118.* Referenda quoque hùc est mutatio militiæ, de quâ in *l. 3. §. 13. l. 5. §. 1. ff. de re mil.* quando scil. miles quidem, uti antea, manebat, interim tamen in deteriorem militiam dabatur, quæ omnia tanquam ad nostrum propositum non facientia, aliis discutienda relinquimus.

Contraria deniq; quod attinet, de iisdem hic non erimus prolixi, cùm ea ex superioribus, uti spero, satis nota sint, hinc in genere concludimus, quoties in actu resignationis, depositionis atq; degradationis, præscripta non attenditur forma, dolusq;, vis, metus, error &c. intervenit, vel conditio non purificatur, aliudve impedimentum ratione personarum obstat, aut pœnitentia justo tempore adest, toties actus illos, in quantum ipsis unum ex prædictis, similibusve obstat, vel ipso jure esse nullos, vel iterum rescindendos: Hôc saltem quoad depositionem atq; degradationem adhuc notantes, non rarò accidere, ut semel depositi aut degradati ex singulari causâ vel gratiâ iterum restituantur, modo posteriorum restitutio fiat à summo Principe *l. 10. & t. t. C. de sentent. pass. §. 1. J. quib. mod. jus patr. pot. toll l. 1. inf. de quæst. l. 1. de natal. rest.* Hinc 80
Doctorem semel degradatum iterum doctorari non posse, statuit *Hermes fascic. jur. publ. c. 30. n. 175. Besold. Thes. pract. verb. Doctor.* quod tamen ita explico, si degradatus fuerit ob delictum aliquod vel flagitium atrox, tunc enim licet de novo doctorari, uti ajunt, nequeat, Princeps tamen ipsi pristinum gradum iterum restituere valet. *Matth. Steph. de jurisd. l. 2. p. 1. c. 1. memb. 2. n. 124.* Secus si ob imperitiam, vel quod qualitates, gradui convenientes, amiserit, tunc enim eandem dignitatem rursus vel de novo posse conferri, vel priorem restitui etiam à Facultatibus, quas vocant, Academicis, nullus dubito. Add. pl. de restitutione degradatorum. *Matth. Steph. c. 1. l. 1. C. de sent. pass. & restit.* ubi insimul proponitur formula restitutionis: *Restituo te in integrum provinciæ tuæ: Ut autem* 82
scias, quid sit in integrum restituere: honoribus & ordini tuo & omnibus cæteris te restituo. Schwed. Instit. jur. publ. p. spec. s. 1. c. 16. aliiq; passim.

Atq; hæc pro ingenii tenuitate dicta sufficiant. DEO T. O. M. sit laus, & ho- 83
nor, & gloria, pro benigna virium concessione in hoc qualiter qualiter exantlato labore; Sit & Idem imposterum actionum nostrarum Director, easq; omnes perducat ad prosperrimum atq; exoptabilem

FINEM.

AB-

ABdicet officio cur qvis? cum laude recenses,
Munera sic prodis, muneribusq; dicas.

De promeritis Juris Dignitatibus hisce Nobilifs. DN. DOCTORANDO,
Fautori & Consalino suo, mente manuq; benignâ gratulatur
HENRICUS Linck/ D.

DE sacro dum verba facis doctissima Jure,
Quô se Majestas abdicat officio,
Te studiis horas tacitas, studiumq; probandum
Usibus egregiis, ritè dicasse, doces.
Olim Majestas igitur Te sacra beabit
Fascibus eximiis, officioq; bono.

Exiguis hisce
Nobilifs. atq; Clarifs. DN. DOCTORANDI,
Patruelis sui honoratissimi,
Conatibus ita applausit inauguralibus
Joh. Georg. Zapf, Med. Stud.

DJe Probe zeiget hier den Fleiß von vielen Jahren/
Ich wündsche Glück darzu; Der Himmel/ deßen Gunst
Jhn bis hieher gebracht/ der wolle fort noch fahren/
Und ferner auch die Frucht erlernter Tugend Kunst
Mit Wucher lassen seyn; Das/ was er ietzt geschrieben
Von Amts-Erledigung/ das müße/ Werther/ nun
Zu guten Aemtern Jhm/ auch übriges Belieben
Und volles Wohlergehn/ in reicher Erndte thun!

Mit diesen wenigen wolte seinen wohlmeinenden
Glückwundsch ablegen
Friedrich Wilhelm Stange/ Eqv. Misn.

ARtis opus meritò sequitur jam gloria, nutrix
Artis, honor, sequitur sedulitatis opus;
Gratulor ex animo, depromo pectore votum,
Ut maneat, Fautor, gloria parta Tibi!
Viventis, post fata, Patris vestigia clara,
Aut Fratrum, qui jam vivere laude solent
Posse sequi, de corde precor, Te passibus æquis,
Si meliora cupis, posse præire precor!

Ita Amico suo certissimo gratulatur
Hans George von Zehmen/ Eqv. Varisc.